


756757



Convict. S. J.

Szatmár.

Hist. prof. 6.

S. J.
mar

756757

241

9



In eternam memoriam
duabus a R. D. Francis
in Gorgey St. Rierton



H

AL

III
Pa

N

RI

In

PI

Pe
e S

AN

291
B E L L I C A
H U N G A R O R U M
F O R T I T U D O ,
A L I Q U O T V E T E R U M E X E M P L I S
A D U M B R A T A .

E T H O N O R I B U S
*Illustrissimorum , Reñdorum ,
Perillustrium , Nobilium , ac Eruditorum
Dominorum , Dominorum*

A A . L L . & P H I L O S O P H I Æ
N E O - D O C T O R U M

O B L A T A
A B I L L U S T R I S S I M A
R H E T O R I C A T Y R N A V I E N S I

Cum

In Alma , ac Celeberrima Archi-Episcopali
Societatis J E S U
U N I V E R S I T A T E T Y R N A V I E N S I

S U P R E M A D O C T O R A T U S
P H I L O S O P H I C I L A U R E A
D O N A R E N T U R

Per R . P . M I C H A E L E M F O D O R
e Soc. Jesu , A A . L L . & Philosoph. Doctorem ,
ejusdemque Professoremeritum , ac p . t .
Seniorem .

A N N O M . D C C . X L V . M E N S E J U L I O , D I E X I I I .

T Y R N A V I Æ T y p i s A c a d e m i c i s S o c i e t a t i s J E S U .



21975

ILLUSTRISSIMI,
PERILLUSTRES, REVERENDI,
NOBILES, AC ERUDITI
DOMINI, DOMINI
NEO-DOCTORES!



*Eliciter VOBIS! quibus
triennii hodie sudores
laureatus abstergit Ho-
nor. Quiescite jam tantillum; &
fru-*

fructus laborum dulcissimos, quos
VOBIS Lauri ad plenam baccarum
maturitatem adultæ porrigunt uberrime,
tantisper degustate. Tantisper
inquam. Non enim hic terminus quietis,
non gloriæ VESTRÆ. Desiderare in hac
duntaxat umbra profuerit nihil. Plus
ultra tendendum. Lauros VOBIS
rursum novas novis rigandas sudoribus
imperat Virtus VESTRA. Religio, Patria,
Majores VESTRI alios rursum conatus &
labores jure jam suo deposcunt a VOBIS.
Qua de causa, quoniam benevole
annuistis, appendimus hodie ad
Lauros VESTRAS Trophæa Majorum,
ut nempe in docta hac quiete & avitos
jam triumphos somniare, & ad parem
olim laudem sive domi & in toga, sive
belli & in sago eniti audeatis. Rapitur
enim, ut est in arcanis VESTRIS, ad
similitudinem suorum excellens quæque
natura; & ingentes

tes animi, quales in VOBIS prodi-
dit Philosophia, re nulla perinde, at-
que domesticis exemplis ad paria pro-
vocantur. Ite DD. NEO-DOCTO-
RES! & eo, quo cœpistis calle ad avi-
tum gloriæ fastigium eniti contendi-
te, Majorum VESTRORUM non
ignavi admiratores. Nos pro officio
nostro votis VOS, & gratulationibus
nunquam non candide prosequemur.

Honoris VESTRI Studiosissimi

RHETORES TYRNAVIENSES.

OBTULERUNT

Illustrissimus Comes FRANCISCUS de
BERCHTOLD , Hungarus Tyrna-
viensis ex Comitatu Pofoniensi.

GABRIEL MAITHÉNYI, de KESSELO-
KÓ, Spectabilis Hung. Gyarmathienfis
ex Comitatu Barsienfi.

Perillustres, Prænobiles, Nobiles.

ALEXIUS TERSZTYANSZKI, de
NÁDASS, Hung. Hazafninyensis, ex
Comitatu Hontenfi.

JOSEPHUS PETOK , Hung. Bozokiens.
ex Com. Hontenfi, & Sem. Mariano.

ANTONIUS MEHOFFER , Moravus
Fulnecensis.

JOANNES BABOSS , Hung. Pofon.
ex Comit. eodem, & Sem. Mariano.

JOANNES TÓSZEGHI, Hung. Tyrnav.
ex Com. Pofon. LA-

LADISLAUS BERTALANFFI, Hung.
Tyrnaviensis, ex Comit. Pofoniensi,
& Sem. S. Adalberti.

MICHAEL GRAJCZÁR, Hungarus
Nagy-Dovoránensis, ex Comitatu Ni-
triensi, & Seminario S. Adalberti.

MICHAEL MAGYARI, Hung. Szere-
dinensis, ex Com. Nitriensi, & Semi-
nario Mariano.

SIGISMUNDUS BALOGH, Hungarus
Nagy-Tapolcsánensis, ex Com. Nitr.
& Seminario S. Adalberti.

FRANCISCUS MANGOLDT, Hung.
Tyrnaviensis, ex Com. Pofoniensi.

JOANNES GAISZLER, Hung. Tyr-
naviensis, ex Comitatu Pofoniensi.

JOANNES GILG, Moravus Budofcho-
viensis, ex Circulo Cremsiriensi.



Amico Lectori.

Sl eruditus es, jam a limine monitum te volumus: manum hinc abstine, aut, ut in tuam messem, mitte. Jam enim præfagimus bilem tuam: quid hæc vetus crambe? non recentia implent orbem? Et non injuria; nisi nos tecum in eandem iremus sententiam. Sed pervulgata hæc apud nos querela: Hungaros rem fortiter agere gladio, quam exscribi stylo malle. Quot quercus excussimus? quem non lapidem movimus? profecimus nihil; irrita omnia, preces, expectatio, spes. Erant, qui nos promissis longum extraherent; qui res gestas curate perscriberet, nemo unus. Et en causam opusculi in formis & manci. In vado & angustiis temporis relictæ ad hæc congerenda cogitationem vertimus, quo res præclare gestas in umbra saltem (neque enim imagine suis expicta coloribus) ob oculos poneremus, testatum facturi, Posteris a Majoribus, dum occasio tempusque ferat, ne pilum quidem degenerare. At inquires, hæc jam in vulgus, & passim in triviis nota. Utinam! Fac, oro, periculum; & perperam te metiri alios ex te, facile deprehendes. Sed esto: sint pervulgata. Quid? non sæpius Græci suos, suos item Romani variato duntaxat stylo in aciem educunt, & lucem? nisi nostri cum illis in contentionem venire non possint. At si candide sentias, etiam palmam ab iis auferent. Id quod & præsens opella affatim evicisset, si & plura & lectissima exhiberet. Sed alteram multitudo rerum, otii tenuitas alterum prohibuit. Evolve, si vacat, annales nostros, & pagina pene omnis gemina horum dabit. Vale jam: & si tempus eadem opera, chartamque deterere lubet, veniat in mentem, Dialogum nos, non Historiam scripsisse.



BELLICA
HUNGARORUM
FORTITUDO,

VETERUM EXEMPLIS ADUMBRATA.

Riserat amœnum dies, non longe secutus Calendas Ma-
jas; cum intemeratus a va-
poribus aër mihi quoque le-
nem ambulatiunculam im-
peravit. Progresso tantisper in viridem
camporum æquabilitatem, quam vernan-
tes primulum segetes velut smaragdina
byffo late convestiebant, obviam se de-
derat eminus eques. Martem ego il-
lum, qualem Scythæ coluerant olim, in
has rursus oras illapsum credidi; adeo
militari Scytharum cultu totus rige-
bat. Robur corporis, ne agile non esset, non
admodum procerum, fulgurantibus hor-
A rebat

rebat armis: tigridis quoque exuviis ab humero neglectim fluentibus formidabile magis. A tegmine capitis surgebant diffusim tremulæ ardearum plummæ, quas aurum irradians colligebat in imo. Sonipes Thracius valde quam generosus, nec minus celer, vix contacta ungulis humo non tam vehebat Herum, quàm per auras rapiebat volantem. Sed & animus ab exteriori cultu nihil degener, non vanis indiciis prodebat Heroem, adeo generose in membra omnia exporrectus, ut si jam cominus hostis feriendus esset. Et me quidem hæc Viri species primum in spectaculum sui jucundè rapuit: ubi vero repente citato in me sonipede irruere cœpit, adeo conterruit, ut hostem me designatum ratus, qua salus à pedibus petenda esset, trepidus circumspetârim. Sed frustra: simul enim aptum effugio locum oculis inquiri, simul exsonantis jam a tergo unguulæ strepitum exaudio. Ego etsi jam ante necem enectus, confirmavi tamen animum, & ne averso vulnere fœdum occumberem, frontem irruenti generose adverto. Et en, o felix ludibrium! pro hoste conspicio Aristum meum, voce jam gestuque ad leges humanitatis exacto, me am-
 cissi.

cissime consalutantem. Frat is mihi olim, cum mansuetioribus Musis operam daret, in paucis Discipulis charus; pronuper vero ab Aristotele donatus rude. Post, ubi in terrorem meum jocari etiam ausus esset, confestim desilit in pedes, sonipedem Armigero, qui pone sequebatur, ducendum tradit; & post mutua rursus salutationis officia comitem se mihi in Urbem revertenti perhumaniter adjungit. Dulcissimam inter confabulationem causas mihi viæ, vitæque militaris perquam facunde pertexere cœpit. Provocatum se ajebat Popularium exemplo, qui belli, quod adversus Aquilonarem Annibalem geritur, eximia fortitudinis specimina ederent in dies. Iter sibi nunc ad Aquilonem esse, merituro illic sub Ducibus, qui non hodierno solum, sed & veteri illi Annibali domando forent. In amicam dein, quod ipse monebat, aurem recensuit mihi res ab iis fortiter & usque ad prodigium gestas, quas ille sincera sibi constare fide sacramento pene asseverabat. Ego quia nihil de his, nisi universe quidpiam, fama perceperam ante, ad singula stupore defixus, illud demum (sæpius enim narrationem amicè interruperam) ad cætera

adjunxi: me quidem popularibus non posse non maximopere gratulari, quod singulari Principis nostræ beneficio copia illis suppeditaret ad priscam illam Majorum gloriam assurgendi. Jacuisse fortunæ invidiâ sæcula jam amplius duo virtutem illam, ad cujus olim famam uterque orbis trepidaverit. Cum plura eam in rem attulissem; bene habet! proclamat Aristus: admonuisti me nominis, quod in meis olim tabulis fecisti. Id jam ut expungas, tempus est admodum opportunum. Meministin' cum toties a tuo bellica Græcorum, Romanorumque facta prælegentis ore avidus penderem, te mihi pollicitum sæpius fuisse, illustriora me de priscis Hungaris audieturum ex te? sed illi promisso scholasticæ dein, ut opinor, curæ intercesserunt. Neque mihi unquam postea res nostras evolvendi aut otium, aut copia. Age igitur, & addictam olim operam, si vetus tibi sum, mihi jam accommoda. Ego certe operæ pretium duxero desiderare apud te aliquot dies, trophæa Majorum, ut ille quondam, somniaturus, atque etiam siqua pro modulo fas erit, affectaturus olim avitam virtutem. Frustra ego infantiam meam, frustra parum fidelem earum

earum rerum memoriam proluxa oratione causabar. Tot ille precibus, tot argumentis pertinaciam meam oppugnatum ivit, ut denique herbam & verba illi porrigere habuerim necesse. Igitur: habes! inquam ego, quoniam ita vis, habes jam, Ariste! Næ tu mihi commertitam hodie talionis pœnam affatim dependes. Enecuiſti tu me non multo ante metu; ego te jam incondita narratione penitus maſtabo. Aures certe Ajo Locutio in viſtimam ſacrare opus habebis. Subſecivis poſtea horis hæc fere ut venerè in buccam, in aures illi, multum per intervalla interpellanti, garrire occæpi.

§ I.

Pietas in Superos ad fortitudinem bellicam adjuncta.

Nihil hic morabor, Ariste! res a Gentili olim Hungaria fortiter geſtas; procul illæ, & in ſua lateant Barbaria. Quæ non temere, & per furorem; ſed e caſtæ religionis legibus acta, proferam in medium. Et primum pietatem ſociatam armis paucis exhibebo. Etenim qui hæc duce pugnat, hæc vincit comite; is

demum sinceros, quia e Cœlo, victoriæ fructus legit. Ita vero veteres Hungari pugnabant, ita vincebant. Præferbat signa Religio, accendebat prælia pietas, Cœlum de hostibus triumphabat. Apage cum generosis illis, si superis placet, ætatis nostræ Heroibus, qui militares animos enervari pietate, religione masculinum robur infringi sacrilege cavillantur. Palam orbe fecerunt Hungari, quid armata pietas, quid religio sociata Marti in hostes possit. En hujus exempla! Primas ferat pro merito suo bellicæ hujus pietatis author.

Anno
998.

I. Nondum jactæ nuper Religionis sementis in plenum florem abierat; cum gliscens Cupæ ambitio fœdam in eam cogit tempestatem, quæ jam tenellum illum agrum miseranda clade attritura erat, nisi armata Stephani pietas intercessisset. Constiterant exercitus gemini, Cupæ, & Stephani. Illi perfidia, & impietas, huic bona causa & pietas præferbat signa. Concurritur infestis signis. Jamque ad Cupam seu ferocia, seu plebis ad avitam superstitionem asserendam undique convolantis numero superiorem, victoria inclinabat; cum Stephanus in
medio

medio pugnandi æstu simul supplices cœlo attollit manus, simul victoriam in suas retrahit partes. Venczelinus quippe in exercitu Stephani Ductor, in medios hostium cuneos fortitudine, ut scires Stephani precibus impetratam, supra humanam se se penetrat, Cupam rebellium Ducem late per aciem multum inclamitat, ac denique ad dimicandum viritum sive invitum cogit, sive prolicit volentem. Nec mora: congregiuntur gemini Duces belli periculum propriis fati definituri. Favet fors, aut potius Cœlum Venczelino. Felici enim ictu & Cupæ caput, & perfidos rebellibus animos abstulit; victoriam una regnumque Stephano asseruit. In cadaver dein perfidi justa victoris animadversio desæviit. Qui rebellionem regnum sciderat, quadrifariam sectus, in diversis regni partibus terrori fuit, paria ausuris. A parta victoria, tota triumphus gloria superis, atque in primis D. Martino victoriæ auspici delata fuit; cujus honori dicata ædes ut perpetuum exstaret trophæum, parte manubiarum tertia dotata fuit. Simeghiensis ad hæc Provincia, quæ ambitionem aluerat Cupæ, non frugum modo, vini, ac pecoris, sed & liberorum deci-

mas eidem ædi pendere iussa. Toto etiam Regno supplicationes Divis pro singulari eorum merito decretæ, celebratæque Nus. quâ non victrix de impietate pietas triumphabat. Feliciter nempe cum hoste confeceris manus, quas pietas in Cælum sustulerit ante. Talibus palmis palmâ capeffes.

II. Compari felicitate armatæ in cælum Stephani preces de Avunculo Gyula Transylvaniæ Regulo triumpharunt. Hunc ille prælio fractum, atque cum Conjuge liberisque in suam redactum potestatem, Christo una Hungariæque victas coëgit manus dare. É manubiis hoc bello partis ut suum pietati rursus perennaret trophæum, ædem illam ad prodigium magnificam dedicavit Albæ. Rursum non multo post innumerabilem Bulgarorum multitudinem Hungariæ fines incurfantium fortitudine religiosa vicit, profligavitque, Cea Duce in acie obtruncato. Præda hic supra fidem opulenta liberalitatis in superos expromendæ copiam Stephano fecit. Ex immensa pene auri, argenti, gemmarumque copia usibus profanis impensum nihil: aris Divorum ornandis omnia consecrata. Nulla non ædicula aureo, gemmeoque orna-

tu dives fuit. Albenſi in primis ædi
 gemina ornamenta auri obryzi pondo ſe-
 ptuaginta prementia innumerisque gem-
 mulis coruſca dicavit, eo privilegio: ut
 qui facturus ad aras, his utendi; coro-
 nandi etiam Regis habeat poteſtatem.

III. Fœnerari viſus eſt Stephanus opes 1030.
 Divis, adeo cumulate viciffim commoda
 illius accurarunt. Non multo poſt Con-
 radus II. exercitum Hungariæ infuderat
 de improvifo. Occurrit tumultuarie
 Stephanus, non militaribus copiis valde
 quam paucis, ſed experto jam Divorum
 præſidio conſiſus. Adventabat dies Hun-
 garos cum Alemannis prælio commiſſu-
 ra: cum ecce adveſperafcente cælo Teſ-
 ferarius obit Conradi caſtra, Legiones
 omnes in Germaniam, unde venerant,
 velut pro edicto Imperatoris revertere
 jubet. Paret miles, collectisque vaſis
 legionatim caſtra ſolvit; iter emenſum
 remetitur. Conradus, qui nihil tale ſo-
 mniaverat, diluculo experrectus ſuorum
 ſe præſidio pene nudatum miratur. In
 Teſſeræ authorem fruſtra inquit, quem
 in favorem Stephani cælo miſſum ratus,
 victoriam ab eo deſperavit, cui tanto
 prodigio militaret æther. Ita nempe

triumphi pietate parti pariunt triumphos
 Hæc de Stephano jam satis in lucem vul-
 gata. Illud addo: ivisse in posteros piis-
 simi Regis exemplum. Quoties dein ab
 Hungaris in hostes itum, toties Divi in
 vota vocati; quoties feliciter debellatum
 est, toties Religioni, pietatique trophæa
 de spoliis fuere constituta. Fidem an-
 nales nostri facient.

IV. Ab hac Divi Regis pietate ca-
 strensi manavit & mos ille, qui apud
 Hungaros antiquæ fidei nunc etiam ob-
 tinet, Sanctissima JESU & MARIÆ
 Nomina sub signis usurpandi. Sive enim
 prælium inirent, pugnae initium gemina
 hæc appellatio faciebat; sive collatis jam
 signis cum hoste decertarent, hoc velut
 classicum accendebat Martem; sive de-
 cederent e prælio, receptui etiam hæc
 voces canebant. Valuit plerumque ea
 pietas in hostem, & quod mirere, etiam
 Christianum.

1142. Documento sit Geyza II. ephœbis
 vixdum egressus, hac pietate de Henrico
 Austrio victor. Armaverat in illum
 totam Germaniam Henricus, florentissi-
 mis Saxonum, Vindelicorum, Norico-
 rumque copiis, quin & Cæsareis legio-
 nibus

nibus in formidandum exercitum conflatis. Jamque Pisonio ante fraude subactō, Hungariam invadere meditabatur, Regem adolescente, ut erat, ætate, bello gerendo immaturum, nullo, ut rebatur, negotio perdomiturus. Sed enim offendit acies in cotem. Geyza quippe supra ætatem magnanimus, una, & pius habito tumultuarie suorum delectu Henrico audenter occurrere decernit. Procerum nonnulli, posita ob oculos magnitudine periculi, a temerariis, ut putabant, consiliis, puerum abstertere nequidquam conabanrur. Se vero bonis Divorum, atque in primis Magnæ Hungarorum Dominæ auspiciis vim hostium expavescere nullam, animose reponebat. Et eapropter publicum etiam edictum tota prodidit Hungaria, Sacerdotum Collegia omnia bello perdurante opem e cælo deposcerent. Incitatus hic adolescentuli Regis ardor ignavissimos etiam Procerum ad spes arrexit meliores. Itaque ut belli etiam incommoda arceret a Patria, exercitum ptooperatis itineribus in hosticum ductat. Cum ad fines Regni perventum est, obviam Rex habuit Virum (en primum pietatis pretium!) nescio quid augustius humana specie præ
se

se ferentem. Henczelinum se dici aje-
 bat. Is commonefacit Regem, in vici-
 no hostes esse: iret audenter; victoriam
 Hungaros in manu habere, si rem gere-
 rent maturato. Rex advocata Ducum
 concione eadem Hominem palam enar-
 rare jubet. Tum Duces, Tribunosque
 omnes, ut structis ordinibus, prælioque
 accincti progredierentur, intrepida ora-
 tione admonet: Virum hunc Genium
 esse missum a Superis, qui suppetias ve-
 nirent Hungaris, si Viri esse auderent.
 Jamque in conspectum se dederat acies
 hostilis. Hungari continuo sublatis una
 signis, vocibusque JESUM & MARIAM
 ingeminantibus, animose in prælium
 ruunt. Nec segnior Alemannus convi-
 tiis una & armis adeo fortiter impetum
 reprimit, ut geminas Velitum alas (eas
 Bessi, Scytulique Thraciæ populi com-
 ponebant) primo congressu inclinaret.
 Ea res Cataphractorum etiam animos
 remisit. Et jam non mediocriter turba-
 tum erat; cum Belus Regis avunculus
 Sacra rursus Nomina invocare, novo
 deinde ardore in hostem ruere Hunga-
 ros jubet. Crederes fulmine stratam
 aciem hostilem, adeo geminæ illæ vocu-
 læ perterruerunt Alemannos, primum
 septe-

septenum millium clade multatos, deinde palantem in fugam actos, denique magnam partem abductos in captivitate. Ingens ea victoria peperit Geyzæ decus, quod admodum adolescens de lecto Germaniæ robore triumphasset. Adeo pietas ad victoriam utilis est, & imbelles etiam Astyanactes Hectoribus suppare facit. Tam illustre victoriæ decus pro more jam laudato Superis, unde affulserat, grata pietate redonatum est. Hostiles exuviæ, signaque militaria tholos Divorum ad magnificentiam ornare: Manubiæ reliquæ sacrarum ædium suppellectilem liberaliter ditaverunt.

V. Sed non intra nuda duntaxat verba Martialis Hungarorum pietas constitit. Eo in primis Duces animum intendebant, ut ne quis suorum, quoties in arenam descendendum erat, hostis Numinis in hostes iret. Itaque ut singuli milites Christiana pietate animos expiarent, diligentissime providebant, arbitrati non ab re, tum demum vim inimicam expugnari posse, si amico Numine depugnarent. Joannem Hunniadem, Heroica fortitudine, an pietate hac militari illustriorem? exemplo dabo.

1441. Amurathes Turcorum Imperator, Furia illa exitio Christiani orbis nata, nisi in impavidam Hunniadis virtutem incidisset, ut cladem nuper acceptam ulcisceretur, octoginta lectissimarum copiarum millia Basseo Sciabadino in unum Corvinum tradit ductanda. Jamque Valachia in cineres acta, pro ferrea Porta constitit Sciabadinus: cum Joannes Transilvaniæ per id tempus Prætor, millia suorum omnino quindecim educit in campum, temerarie magis quam audenter, nisi Corvino Duce, tam valido, numerosoque robori objicienda. Priusquam in certamen descensum esset, Corvinus erectis ad fiduciam in DEO locandam Præfectorum animis, totis per eos castris edictum prodit, expiarent conscientiam singuli, Mysteriaque Religionis nostræ, qua liceret, usurparent. Sed non licuit e solenni Ecclesiæ ritu per angustias temporis. Igitur invenit modum ingeniosa Corvini pietas. Ut enim & noxarum pro sacro tribunali expiationem, & cælestis illius convivii speciem adumbrarent, legionatim primum noxas sibi invicem confiteri, tum singulatim pauxillum terræ in os sumere jubebantur. Ita jam reconciliatos Numini, & Pane illo fortium,
 qua

qua licitum erat, confirmatos, in aciem late explicat. Gemina cornua quadratis Cataphractorum agminibus erecta, longo carrorum, omni munitionis genere completorum, ordine communit. Lætas deinde gravioris armaturæ cohortes medio locat, Hastatis rursus, Sagittariisque communitas. Pactione deinde mutuo inita, neminem injussu Ducis e prælio decessurum, omnes imo pro aris, & focus quam fortissime decertaturos, dato signo, ter, ut erat præceptum a Corvino, Sanctissima Nomina pro more appellavere omnes. Classico ejusmodi accensi, infestis armis in Turcam procurrunt. Corvinus intersectam hostium multitudinem facilius profligari posse ratus, Cataphractorum agmen imperat produci in cuneum, cui Sciabadinus haud segnius Forfices obtendi jubet. Pugnatur primo impetu cominus, adeo strenue, ut, quemadmodum proditum est, tanta rabies adversas acies commiserit nunquam. Exacuebat immane quantum Barbarorum iras odium Hunniadis, suis unice progressibus officientis. Hungaris contra Patria, libertas, & in primis Religio extremos conatus imperabat.

Jam prima Turcorum acies, à cuneo Hungarorum bifariam proscissa, visa est laborare; cum altera rursus, eaque de integro recens se se objicit interfecanda. Recrudescente hic rursus utrinque Marte, etsi cornua Turcarum utcunque inclinare cepissent, quaternas tamen adeo horas dubitare visa est fortuna, Turcæ ne accederet, an Corvino. Sciabadinus demum, seu moram non ferens, seu e re futurum ratus, Triarios suos in orbem cogi jubet, Hungaros jam pugna defessos undique conclusurus. Corvinus cornu dextrum obduci sponte sinit, tum currus armatis repletos, qui ad latus pridem imperium expectabant, celeri at clandestino cursu, hostem a tergo pariter jubet obducere. Hic vero elatis rursus Sacris Nominibus Hungari conclusos jam velut indagine Turcas tanta undique fortitudine adoriuntur, ut, missili etiam igne continenter a tergo in eos e curribus depluente, pene omnes interne-
 cione delerentur. Quæ res Barbarorum in sinistro cornu etiamnum acriter dimicantium animos ita infregit, ut cohortescerent primum, tum languidius pugnarent, in apertam denique fugam, quæ via facta, plenis agminibus effunderentur.

tur. Peræque Sciabadinus conclamatis jam rebus in fugam actus, tanta celeritate, ut frustra per fusas late acies disquireretur a Corvino, cui ad cumulum victoriæ ille unus visus est desiderari. Sed is continenti fuga usque ad Istrum delatus, ne alteram quidem e tanto numero suorum partem in summa etiamnum trepidatione trajecit incolumem. Fuso, fugatoque Barbaro immensa fere præda sudorem victorum deterfit liberaliter. Nemo unus prælio superstes fuit, qui non ingentes in familiam suam opes, posteritatem etiam ditaturas, redux intulerit.

Eo prælio præter quina millia captivorum, quadragies mille Barbari in loco funera mansere. E stagnantibus illic cruoris humani lacunis, cadaveribusque in saniem defluentibus, adeo pestilens enatus est odor, ut tota late regio diu homini pecorique fuerit inaccessa.

Habes hic, si non imaginem, at umbram certe pugnarum Corvini. Pietas, an fortitudo, ingeniumne primas ferat, vix definiveris. Ego pro pietate suffragor, dum semper nescio quid humano majus in rebus ab illo gestis admiror.

B

Sane

Sane tam illustres palmæ nonnisi de cælo delabuntur.

1479. VI. Eadem prorsus pietate Stephanus Bathor triumphum post hominum memoriam gloriosissimum de Barbaris egit. Acciderat rumor ad aures Mathiæ Regis, ingentem Barbarorum exercitum conflari ad Sinderoviam. Celeribus ergo nunciis admonet Stephanum Transilvaniæ tum Prætorem, & Paulum Kinisium Temesiensium Præfectum, armis in omnem eventum accincti starent, hostem a finibus regni, si quid moliretur, fortiter arcerent. Parent illi, & ut in re subita licuit, copias non admodum frequentes suis in provinciis contrahunt. Ita bellum adornanti Stephano speculatores afferunt, hostem jam Danubium trajicere, in Transilvaniam procellam belli omnem effusurum. Stephanus admonito per internuncios Kinisio, ut prope ratis castris Turcarum premeret vestigia, obviam hosti procedit intrepide. Quini Turcarum Duces (Bassas appellant) centum amplius millia in Transilvaniam infudere, Imperatore exercitus Alibægo. Stephanus de tanto hostium numero certior factus, prædabundos tantisper ad interiorio-

teriora Daciæ progredi admodum providē finit, tum prædis onustos ac eandem rursus relegentes viam caute cum suis insequitur. Alibægus nihil uspiam hostile odoratus (tanta erat Ducum nostrorum cautela) jam ad locum Kenyér mezö dictum, suos reduxerat, ubi castra metatus, intelligit demum Stephanum cum exercitu non longe a tergo sequi. Igitur nocte etiamnum concubia velut securus victoriæ, iuis in posterum diem edicit pugnam. Nihilo secius Stephanus, Barbari consilia jam edoctus, suos intrepide animat ad certamen. Ut dies illuxit, continuo geminæ acies mutuo se conspectui prodidere. Ternas adeo horas, quasi vires mutuas metirentur aspectu, in malacia quadam perstiterunt.

Eo tempore Stephanus pro veteri gentis more primum legionatim Superos in vota vocari, dein singulis terram impartiri jubet paulum gustandam, quo Cælestis fortium Panis, cum re non possent, memoria certe confirmarentur. Et adeo roborati fuere eo pietatis sensu, vix jam ut a prælio contineri possent, una omnes signum ocyus expeterent dari. Nec mora: canente tibiis una, Sacrisque Nominibus classico, in cessantem adhuc

Turcam fortissime procursum est. Sed nec ignavius resistere Barbari, qui & utrumque nostrum cornu (dextrum Saxones & Valachi, Scythuli sinistrum obtinebant) cum non exigua strage initio inclinarunt. Quod ubi Bathorium advertit, quadratum Cataphractorum Hungarorum agmen producit in aciem. Sed vix equo calcaria subdit, cum ante suorum oculos alliditur humi.

Eo Ducis casu velut omine sinistro consternati Hungari, receptum Bathorio suadent. Abominari ille dedecus tantum! adhortarique omnes: audenter, ut capere, inveherentur in hostem. Neminem DEI, Magnæque Hungarorum Dominæ auspiciis fretum, omne lævo prælium inire, aut victum e pugna decedere posse. Ita equo juxta, suorumque animis subito erectis tanto ardore ruitur in pugnam, ut obvium Barbarorum agmen primo illi furori victima ceciderit confestim. Alibægus intellecta suorum strage eo robur omne ad ferendam opem agi, Hungarosque concludi in orbem celeriter jubet. Continuo densis se undique cuneis agglomerant Barbari. Pone ob oculos, Ariste, rupem aliquam in circumfusum pelagus
late

late despectantem, in quam valida desæ-
 viat undique tempestas, decumani un-
 dique fluctus illiduntur; ut illa hinc ru-
 entes in se undas fortiter retundit! ut
 affilientes inde fluctus proscindit multifa-
 riam! ut denique pelagi totius ruinas
 in se furentes excipit impavida. Non
 secus Barbarorum illam tempestatem in-
 trepidi sustinent Hungari, illisofque in
 se undique velut agminum fluctus, qua
 retundunt viriliter, qua proscindunt plu-
 rima strage. Tanta jam clades erat, ut
 singuli pene Hungari ex aggesta cadave-
 rum a se factorum mole, velut e vallis
 in Turcas depugnarent; cum demum a
 tanta cædendi contentione defessis vires
 effluunt, arma pene manibus elabuntur.
 Stephanus ipse boni Ducis una & stre-
 nui militis officia fortiter adhuc execu-
 tus, acceptis vulneribus senis, inter a-
 cervos cadaverum pene ante mortem tu-
 mulatus procubuit. Ita extreme labo-
 ratum est apud Hungaros, resque jam
 fere conclamata.

Expalluisti, ut in vultu lego, Ariste!
 & spem victoriæ jam abjecisti: at non-
 dum Stephanus clypeum & hastam. Ste-
 tit is impavido animo etiam inter rui-
 nas: & cum in hostes armis posset nihil,

cælum institit votis oppugnare. Magnam in primis Dominam, Præsidentem armorum suorum, suppetias rogat ardentem, Votumque illi vovet: si laboranti aciei acies ipsa Castrorum invicta succurreret, ædem ejus honori id loci staturam; Lauretum etiam anathema, perpetuum beneficii monumentum se missurum. Nondum finierat, cum desidit paulum Turcarum circum furor: clamor inde insolens tibiærum permixtus cantu eminus exauditur. Jam enim Kinisius Turcas nec opinantes a tergo adortus, totum in se furorem a Stephano averterat.

Non reperio verba, Ariste, quibus Heroem istum pro merito suo expingam tibi. Manus illi ambas singuli armabant gladii, quibus medios in hostes illatus, quacunque se ferret, latissimam faciebat stragem. Non immemor Achatis sui Stephani, eo per ruinas ruere statuit, ubi illum aut fortiter dimicare, aut gloriose occubuisse putaret. Itaque fulminis instar, via per confertam barbarorum aciem strage aperta convolat eo, ubi agmen Bathoris post Ducis etiam casum fortiter dimicabat. Tum voce, quam potuit, contentissima: ubi ingeminat, ubi Bathor

thor effet? ubi castitatis specimen, propugnaculum Fidei, & severæ integritatis exemplum? responderet, si viveret! adesse jam Paulum, pro illo, pro Patria, pro Religione vincere, aut mori paratum. Stephanus nota Pauli voce recreatus, elato qua potuit ex circum aggestis cadaveribus capite cruento: se vero adesse! vitamque, sed morti similem ducere, respondit. Ageret Paulus, & quod sibi per vires exhaustas non liceret, Religionem, Patriamque fortiter tueretur. Eo responso inter cædes etiamnum, mutuosque ictus accepto, geminari cerneres Kinisio vires, adeo circumactum Stephano Turcorum agmen qua occidione dellet, qua in fugam momento propellit. Animatis dein, quos reliquos fecerat longa pugnandi contentio, Stephani militibus, Barbaros a tergo (nam a fronte Kinisii milites strenue dimicabant) incredibili fortitudine premit. Barbari utrinque inclinati, laborare primum, tum in abrupta montium, planiciei latus attollentium, fuga eniti. Insistere Hungari; & hos a tergo insequi, illos notis montium aditibus prohibere, alios velut feras per saltus venari, nusquam non pecorum instar fundere, cædere, profligare.

re. Quid pietas fortitudini juncta eo prælio potuerit, ex clade metiri possis. Porrectum stadia septendecim spatium ita cadaveribus barbaris constratum erat, ut de uno in aliud, ne contacta quidem humo, gradum facere licuerit. Verbo: centies mille Barbari ad internecionem pene cæsi. Alibægus omni suorum nudatus præsidio, fugam una, seque mentita veste & lingua occuluit; & eam noctem in casula delituit Pastoris, quem sub auroram, fugæ jam accinctus, admonuit: Bathori nunciaret, se Alibægum hospitem habuisse.

Fuso jam, cæsoque penitus hoste, Kinisius in opulenta pro more Barbarorum castra Victorem Hungarum reducit. Sed pretiosior omni præda, chariorque fuit asserta captivis libertas, quos paulo ante tota fere Dacia abegerat Turca. Triumphatum est incredibili lætitia, eoque, quo pugna fuit loco, ad cœnam condictum. Mensas illis conferti cadaverum acervi præbuere. Post, ubi genialibus epulis, meroque indultum fuit, in tripudia effusi, choros etiam agitare cœperunt. Paulus in primis, ob vitam Stephano servatam præ gaudio pene alienus a se, dum choreas ducat, licet a pugna

pugna delassus, Turcam armatum armatus ipse, nihil adminiculata manu dentibus arreptum, in orbem aliquoties gestiens circumfert.

Miraris Pyrrhicham istam, Ariste? quid vero, si vas illum, currui vix tolerabile, humo sustulisse, si molam frumentariam unum circumegisse, aliaque idgenus audias? at hæc illi paterna in domo (nam e Pistrino fuerat ortus) olim quotidiana fuere. Sed hæc extra chorum.

Ab hac victoria id rursus accuratum, ut triumphus honos, unde venerat, redderetur; id est: DEO, Magnæque Dominae, quorum auspiciis debellatum erat, suæ persolverentur grates. Stephanus voti reus, & ædem in loco pugnae honori Mariano dicavit, in qua subinde quotannis commilitonum eo prælio cæsum manibus pie parentaretur; & munus Virgini argenteam effigiem misit, quod tholo impositum triumphus decus Virgini deferret apud seram etiam posteritatem. Mathias quoque Rex in indictis toto Regno supplicationibus Eucharisticis, gratis multos dies agendis novas sibi e Cælo victorias depascitur.

Hæc forsitan prolixius, ut religiosam, unaque fortem pugnandi methodum, quam Hungari universe tenuerunt, gemino metiaris exemplo.. Adeo contra quam olim cecinit Poëta: Casta fides, pietasque Viris Militaribus apud Hungaros in usu, & pretio fuit! neque aliter, nisi his Ducibus vincere datum, dabiturque unquam.

§ II.

*Castrensis in MAGNAM
DOMINAM pietas.*

A Nimadverti adhuc, Ariste, quoties Magnæ Hungarorum Dominæ mentio incidisset, avidius te aurem utramque arrexisse. Gaudeo, supra quam dici potest, (sic enim non perperam interpretor) teneram illam, qua olim in Divam Virginem præ cæteris flagrabas, pietatis flammam nondum extinctam, vivere imo adhuc, atque etiam æstuarè. Perge, ut cæpisti! tamdiu a bellica Majorum virtute non degener, quoad non ab hac pietate. Majores nostros summum in ea præsi-

præsidium, spemque victoriæ omnem collocavisse mos ille pervetus docet, quando Signifero Mariano (munus id erat Judicis Curia, qui vexillum Diva Virgine insignitum in acie deferebat propter Regem) calcaria detrahebant: ut ne illis de fuga cogitandum esset, qui auspicio tantæ Præsidis jam ante victoriam triumphum securi canere possent Sed ad propositum nostrum.

I. Ladislaus ille relatus in Divos, hac in arena hodierno sæculo pene desipuisse videri potest: ut adeo teneram pietatem cum tanta fortitudine conjungi potuisse monstrum sit, sed illi solum, qui ut a majorum gloria, ita degener a veteri illa, & tot exemplis contestata pietate, laudem avitam obtritum eat.

Effinge sis animo, Ariste, Achillem aliquem, aut Hectorem, suis conspicuum armis. Galea illi ambiat cervicem, undantibus cristis tumescens; pectus, ac cæteros artus mille durata ictibus contegat lorica; instruat dextram hasta e robore, sinistram clypeus armet e chalybe; accinge mucrone latus, animum denique militari ferocia comple. Quid tu? si humeros hunc, manusque Marianis,
ut

ut vocamus , corollis ornatum , si arma omnia iconibus Divæ Virginis expicta contuearis , non ipse etiam ad tantam insolentiam stupebis ? Habes vero effictum in animo Ladislaum. Sic humeros , sic ille manus , sic pectus & arma in aciem ferebat.

Sed & miles omnis , qui sub ejus signis merebat , Ducis ad exemplum haud absimili cultu descendebat in arenam belli : iisdem corollis singuli præcingebant enses , ut jam ante pugnam triumphare viderentur , qui plusquam laurea victoriæ signa gererent ante pugnam. Militaria quoque labara plerumque ostentabant Divam Virginem , cujus ad conspectum verius atque ad Gorgonem illam fabulosam , hostiles animi obrigescerent. Viguit pietas ejusmodi apud posteros quoque , quamdiu casta Hungaris atque integra religio perduravit. Et maximum semper piæ hujus operæ pretium extitit.

Ladislaus certe tenera hac in Virginem pietate armatus , e campo victus discessit nunquam. Pugnasse illi , vicisse fuit , & triumphasse. Unicam e multis de Aco (aliis Alo) Chunorum Imperatore victoriam exhibebo.

II. Ingemuere Chuni suorum cladi 1091.
pronuper acceptæ, quæ adeo abnormis
fuit, ut unus Escenibus (noluit felicitis
nomen ignorari vetustas) e manibus
Hungarorum elapsus, deleti exercitus
stragem nunciaret suis. Itaque adscitis
in societatem vicinis late populis, quid-
quid superabat virium, Imperatore Aco
in Ladislaum educunt, ut scilicet infe-
rias suis propria clade celebrarent. La-
dislaus, qui jam Virgine auspice vincere
duntaxat didicerat, nihil territus, cum
exigua suorum manu in finibus regni ul-
tro procedit obviam innumerabili mul-
titudini, dieque, quem Sabbathum di-
cimus, Divæ Virgini longo jam usu fa-
cro, felici prorsus omine signa cum Bar-
baris confert. Cum jam ferveret præ-
lium, multaque hostium, etsi non im-
pune, fieret strages, Ladislaus suorum
sanguini parsurus, animum sumpsit ad fa-
cinus memorabile, quo belli totius mo-
lem suo unius periculo exciperet, discrimen
a suis propulsaret. Etenim decli-
natis qua licuit, aut cæsis, qui obsistere
ausi erant, avide ruit, qua pugnabat Chu-
norum Imperator. Tum: Acum! Acum!
aliquoties ingeminat: sique vir esset, de
fortu.

fortuna belli singulari secum certamine decerneret, identidem occlamat.

Rex Barbarus sive indignatus, quod Ladislaus prior provocasset, sive veritus, ne pro ignavo haberetur a suis, ultro pariter venienti ferociter occurrit. Sed enim ad primum cum Ladislao congressum, quidni agente Virginis Numine? ita concidit animo, ut jam ante pugnam sibi spem cum victoria videretur abjecisse. Ladislaus Persica primum securi cervicibus impacta, equo præcipitem deturbat; humi dein afflictum ense transfodit palpitantem. Barbari cæde Imperatoris consternati, salutem in fuga frustra quærunt: Ladislaus enim, ut a permolestis vicinis in perpetuum Hungariæ securam esse liceret, præter morem suos ita sævire permisit, ut demptis pauculis, qui captivi abducti fuere, ne nuncius quidem cladis superasset cladi. Luculento sane exemplo: a paucis etiam iilustrem victoriam stare posse, ubi acies illa castrorum ordinata depugnat.

Utne vero Ladislaus ignoraret, cuius auspicio victoria parta esset, cum jam otium ageret a bellis, Divæ Virginis armorum Præsidi dicare jubetur ædem propter Crysum amnem a nuncio Cælesti;

lesti; in qua dein luculenta Fortitudinis
Mariana prophæa perfliterere, quoad cum
vetere in Virginem pietate in rudera
corruissent.

III. Ludovicus I. sub eodem Virgi- 1363.
nis auspicio ad prodigium etiam de Bar-
baris triumphavit. Forte Amurathes,
post Thraciam funditus evastatam, ha-
biturus rem cum gente paulo bellicosio-
re, non tam invasit Hungariam, quam
innumera multitudine repente inunda-
vit. Jamque per omnes late vicos, &
agros spargebat incendia barbarus furor,
ultimum Regno exitium comminitatus.
Et perierat omnino Hungaria, nisi pro-
se Regem præsidio Virginis potius, quam
robore militis confisum, furia illi obje-
cisset. Ludovicus enim lectis sub signa
millibus non amplius viginti (& quid
hic numerus ad innumeros?) audens oc-
currit hosti. Comperto tamen Barbaro-
rum numero, non leviter extimuit, ne
suos temere in prædam objectum iret.
Pridie igitur, quam cum Barbaro conse-
reret pugnam, expiatis Christiano mo-
re suorum animis, aleam belli adeo pe-
riculosam Cellensi Virgini enixe com-
mendat, Defessum dein votis, una &
curis

curis animum occupat somnus. Cum ecce! adest in somnis Virgo, illa ipsa, qua in æde Cellensi colitur, specie: spondet præsidium, animos metuenti sufficit, victoriæ securum reddit. Et ne vano se ostento ludificari putaret, reposita in sinum dormientis effigie sua, fidem facit evigilaturo. Ludovicus non minus somno, quam curarum mole solutus, suos itidem metu periculi pene enectos, imagine somni ad spem excitat victoriæ. Fides ipsa narranti continuo habita verum fuisse ostentum docuit.

Crederes militem non prælium apparare, sed Triumphum; adeo in animis omnium inusitatus quidam pugnandi ardor emicabat. Igitur vix Magnam Dominam Signifer de more sustulit, incredibili fortitudine in Barbaros incurunt Hungari. Sternuntur late hostes peræque, atque si sensus omnis expertes forent. Recentes necquidquam ordines sufficiuntur profligatis. Capit Hungarus a pugna robur; cui cum resistendo jam Turca non esset, maluit fuga salutem quærere, quam extremam in prælio cladem operiri. Comitatur palabundos hospites officii causa Hungarus ultra ipsos Regni fines; atque ne faci-

lis

lis reditus pateret residuis, cruentis val-
lis, quæ cæforum in fuga Barbarorum
cadavera congefferant, limites com-
munit.

Prodigiosum victoriæ genus ut in
acceptis Virgini Ludovicus ferret, uni-
versas ipse copias ad Cellensem ædicu-
lam deducit ovans: utque totam Trium-
phi gloriam pertinere ad Magnam Do-
minam testaretur posteritati, Coronam
Triumphalem auro, gemmisque distin-
ctam capiti Victricis, togamque Regiam
tholo imponit. Addit enssem, calcaria-
que, ut fortitudinem in Barbaros editam
perpetuo Virgini deberet. Non hic eti-
am stetit studium gratificandi. Nam ex
opulentissima, quam Barbaro detraxerat,
præda, magnificam illam, quæ hodie in-
genti gentium omnium pietate frequen-
tatur, ædem pro dignitate Virginis eri-
git, ut nempe æternum victoriæ Virgi-
nis auspicio partæ monumentum exsta-
ret. Visitur hic & icon illa, quam Vir-
go in sinum dormientis Ludovici repo-
suerat, quaque is indubie pectori appen-
sa tam fortiter cum Barbaris decertavit,
præclaro Hungaris exemplo: tum de-
mum insuperabiles fore, si ejusmodi ico-
ne, velut Vulcania lorica, pugnaturi pe-

etora communirent. Sed o pietas ! o
prisca fides!

1443. IV. Adjungo geminis Regibus Ula-
dislaum, Heroem etiam fortitudine Ma-
riana multo illustrissimum. Testatum is
posteritati reliquit, quid fortitudo Hun-
garorum ad Marianam pietatem adjun-
cta, in Barbaros in primis possit. A quo
quidem velut Hercule Mariano, nisi præ-
postero quorundam consilio transversum
actus, Cælum in se armasset ad Varnam,
ultimum sine dubio ictum Ottomanni-
ca illa Hydra fuerat acceptura.

Is igitur ut periculum faceret, quid
auspiciam, tutelaque Virginis in Barba-
ros posset, decretis ante vicatim, oppi-
datimque supplicationibus, bellum in
Turcas adornat. Exercitus Imperatorem
alterum a se prodit Joannem Corvinum,
& ipsum Heroem Marianum. Quinde-
cim millia Hungarorum in campum edu-
cta sunt, res tamen perpauca mensi-
bus tantas gessere, ut plus jam admira-
tionis, quam fidei apud posteros habe-
re videantur. Unum e multis prælium
strictim referam.

Post ubi circiter Calendas Majas di-
gressus Buda, itineribus quam celerri-
mis

mis ad Salsum Lapidem trajecisset in Bulgariam, capta uno impetu atque direpta Urbe Sophia, primum ad flumen Moravæ castra metatur. Hic innumerabili Turcorum exercitu jam in vicino agente nihil territus, superato feliciter Morava, præmittit Corvinum cum decem non amplius millibus, silentio noctis ad victoriam usurum. Illucescebat forte Luna, & velut indignata se a fœdissima gente pro Dea haberi, nitidissimo lumine tenebras ab aere abstinebat, quo Hungaris quasi facem præferret ad victoriam. Cujus favore, at multo magis illius, cujus symbolum Luna est, auspicio fretus Hunniades, non multum provecta nocte Barbaros nihil tale metuentes, sublato clamore repente adoritur. Multos primo impetu somno simul proturbat & vita. Barbari ea re in terrorem acti, pars armis, pars fugæ se accingunt. Sed Corvinus, ut erat in omnes casus providentissimus, jam ante pugnam loco fugæ pervio agmen suorum collocaverat, quod abiturum Turcam officii causa tantisper moraretur. Qui arma capere ausi erant, tantillum resistebant; sed sopore non omnino discusso stupidi, audito etiam Nomine Hunniadis, velut fulmi-

ne perculsi, palantem in fugam effunduntur.

Hic vero non jam pugna, sed ruina fuit. Nam simul Hungari a tergo, a fronte, ab lateribus stragem trepidanti Barbaro inferunt, simul Turcarum agmina in ea rerum perturbatione secum collisa se invicem proterunt, cæduntque. Ea rerum facies totam tenuit noctem. Illucescente die Hungari Turcas, velut feras per avia insectati, quidquid reliquiarum fuit, pari virtute contrucidant. Tricena admodum millia cecidere in arena, quater mille capti, reliquis fuga elapsis, dispendio nostrorum omnino quingentorum. Adeo nullo pene lytro paratur victoria, ubi in Turcicam Lunam Luna illa Mystica depugnat.

V. Ab ea victoria Uladislaus virtute Hunniadis fulminis instar Bulgariam omnem pervasit; loca plurima, ab arte & natura longe munitissima, incredibili celeritate recepit, Macedoniam ipsam, defixis jam ad radices, Hæmi trophæis subacturus, nisi hyemis inclementia, rerumque exercitui alendo necessariorum egestate coacto revertendum fuisset. Sed & receptus ipse, continuatis pene victoriis,

nis, etsi exercitus cum summa rerum omnium difficultate cōflicteretur, ad memoriam posteritatis illustris fuit. Carambegum Turcorum Ducem, Hungaros periniquo loco cum delectis copiis aggressum, non fudit solum impavida Hunniadis fortitudo, sed & in triumphum abduxit captivum, quadragenis aureum millibus postea redimendum. Septimum in hac una expeditione cum numerosiore semper exercitu Barbarorum, ab Hunniade feliciter debellatum est.

Uladislaus palam orbe facturus, cuius auspicio tot lauros messuisset, Budam subinde redux triumphum egit memorabilem. Prodierant obviam adventanti Regi Ordines Regni omnes, Collegiaque Sacerdotum, triumphabundum in Urbem deducturi. Admisit honorem Uladislaus, tanto libentius, quanto majorem dein Virgini triumphatrici deferre posset; suas imo etiam copias explicat in triumphi pompam, quam longum captivorum agmen, quod Carambegus in vinculis ductus claudebat, ante Regem productum mirifice ornabat. Joanni Corvino Summi Pontificis Legatum inter & Despotem medio, Regemque po-

ne secuto, triumphi honos etiam habitus est. Progrediebatur jam triumphalis pompa, & pro: Io triumphe! solemnium olim Romanis, Eucharisticis odibus, JESU & MARIÆ decantantis, repercussis montes remugiebant. Cum Rex, attonita rei insolentia multitudine, repente equo desilit, nudat pedes, totaque triumphi gloria Magnæ Dominæ delata, palam omnibus ad Ædem usque Virginis nudatis pedibus procedit supplicis ritu. In Æde ipsa dein, opulentissima spolia Virgini dicat, tholisque late appendit, adjecta etiam tabella, sempiternam Dominæ triumphatricis memoriam contestatura. Glorientur jam Macedonici, Germanici, Affricani superbis titulis suis, quos effrænis triumphandi libido, funestaque nationum excidia ita nominavere. Uladislaus certe tanto gloriosius audiet Marianus, quanto illustrius est de se una pie, deque hostibus juste triumphare.

Sed ne longior sim, verbo completar: tenera in Magnam Dominam pietas in Hungaria semper pugnavit, vicit, triumphavit. Non aliunde victoriarum fezes uberiori proventu hic efflorebat. Illustrium certe Heroum syllabo apud

nos accensus est nemo, quem non peculiaris in Virginem amor supra vulgus efferret.

Vide jam Ariste, quam non abs re Princeps Nostra, cujus felicitati sanguine litatum ibis, spem victoriæ omnem in pietate ista collocarit. Sciscitabatur ex illa familiarius non nemo, qua potissimum in re felicem armorum progressum reponeret? nihil morata reposuit: in Regina Hungariæ. Pie magis, an acute? invidens: bellica Hungarorum, quorum Regina esset virtute, & propitio Virginis, quæ Regina Hungariæ more jam vetusto audiret, auspicio, id est: Mariana Hungarorum fortitudine spes niti suas.

Macte animis Hungari! & avita in Virginem pietate ad avitam fortitudinem adjuncta, præceptas de vobis a tanta Principe spes, ut adhuc fecistis, ad plenos victoriarum fructus maturate!



§ III.

*Fortitudo singularibus
pugnis prodita.*

Nihil de bellica Majorum virtute delibatum ivi, cum illi sociavi pietatem. Ut alia omnia, ita victoriæ atque triumphii labore, fortitudineque Heroibus vaneunt à Divis. Frustra ignavus Cælum precibus fatigabit. Nisi cum Jove manus moveat, inglorius erit.

Jam quanta Hungari virtute, quam fortibus animis in hostes decertarint, in primis prodent singulares pugnae, vel inde, quod nullam sibi in his Duces, nullam Commilitones, ut in cæteris, partem vindicare possint. Apage vero hic cum illis, quos aut privata simulas, aut vani honoris umbra committit in arena, ignavos ut plurimum, cum in hostes eundum. Manlios ego producam, Horatiosque, quibus sola Patriæ salus gloriosum cerramen imperavit. Specta jam e multis paucos.

I. Primus circus pro Byzantinis mœnibus esto. Facinus ibi patratum per-
vetus jam, & a gentili olim Hungaria me-
moriæ proditum sic habet.

Hungaris per alias belli curas distractis
denegaverat consuetum Græcia tributum.
Ea re irritati, ut primum otium nacti fuere,
redacta prius in ordinem tota Bulgaria,
ad ipsos Byzantii muros se se penetrant;
tributum a Græco Imperatore vi repe-
tunt & minis. Imperator arcte in Ur-
be conclusus, cum vim vi non posset,
terrore obsidentes Hungaros repellere
tentat. Habebat is in suis hominem cor-
poris immanitate, animique ferocia mor-
taliū vulgo longe antecellentem. Hunc
ille portam Urbis egredi jubet, Hunga-
ros ad singulare una, & decretorium cer-
tamen provocaturum.

Nec mora: reclusa Urbis porta, agit
se versus Hungaros vasta illa moles, mon-
strum immane, ingens. Formidabilio-
rem Græcum reddebant arma inusitati
ponderis ad terrorem hostium identidem
in gyrum leviter vibrata, ferrumque ab
obducto corpore undique velut fulgu-
rans. Excivit ea res ad spectaculum
totam Urbem: Imperator ipse Procerum

corona stipatus, despectabat de mœnibus, Hungarorumque animos perperam e suo mensus, terrorem illorum præpropere ridebat in sinum. Gygas ubi se conspectui dedit Hungaris, ut augeter terrorem, incondito clamore arrogantissime vociferatus est: si Viri essent Hungari, duo secum e tanto numero in arenam prodire auderent! se vero ausurum aliquid supra Herculem: atque eodem tempore cum geminis decertaturum.

X Plures jam Hungari nihil ea vociferatione conterriti, animos apparabant ad certamen. Præripuit cæteris verba una, & palmam Bothondus, qui creptis pene Græco ex ore verbis, celeriter provolat in medium, &: nihil opus esse geminis, audacter proclamat. Unicum se, utut minimæ suos inter virtutis, Herculi tanto perdomando satis superque fore. Quin ageret æmulus, sique secum pugnam inire vellet, duos sibi arcefferet socios, quorum alter observet animam e corpore exigendam, tumulum corpori apparet alter.

Insolens ista Bothondi magnanimitas Græcos omnes, atque in primis Imperatorem admiratione primum complevit, tum etiam terrore. Quem ut Oporus
Hunga-

Hungarorum Ductor geminaret, jubet Bothondum extemporaneum roboris sui specimen palam edere. Consistebant Hungari pro ipsa Urbis porta ferro adversus hostiles impetus probe communita. Ad hanc itaque celeriter procurrit Bothondus, atque inspectante Græcorum multitudine bipennem in eam allidit tanta vi, ut vitio tanto, quantum admittere pueros posset, momento hiaret. Tum revolat in medium, pugnae se accingit, Græcum laceffit.

Initur certamen, & qua Bothondo vanos Gygantis ictus scita dexteritate eludente, qua Græco ferrea lorica illisam sapius bipennis aciem hebetante, integram horam incassum fervet. Pendent interim spe, metuque spectantium animi, in eventum dubiæ adhuc alexæ utrinque intenti. Cum denique Bothondus, velut iratus victoriæ, tanto fatigio constare volenti, robur una, ingeniumque omne in exitium hostis colligit, atque æmulum sive pedibus arte aliqua succussis, sive bipenni fortiter impacta propellit in casum, inque ingens spatium late porrigit ruentem. Nec diu moratus, animæ cum vasta illa mole tantisper colluctanti, bipenni demum viam aperit ad libertatem.

Ani-

Animus nempe, non vasta corporis moles ad victoriam facit. Ille unus hostem vincit, & vincitur ab hoste.

En rursus alterum pro exteris in arena, geminata laude decertantem!

II. Petro in solium Hungaricum intruso, exulabant in Polonia tergemini fratres: Andreas, Bela, & Leventha, e Ladislao Calvo D. Stephani Patruo progeniti, ut scilicet olim essent, qui exultantem una religionem, & felicitatem in Patriam secum reducerent. Eos Micislaus Rex pro dignitate regie prorsus habuit, ac pene in filiorum loco duxit. Illi, ut virtus etiam extorris labefactari nescit, par pari, qua potuere, reddunt; & Micislaum non modo in Patris optimi loco vicissim ducunt; sed & commoda illius, ut occasio ferebat, pro virili accurant.

1045. Forte Pomerani vectigalium, quæ adhuc Polono pensitabant, impatientes armaverant in se Micislaum, cui vicissim illi cum valido exercitu obviam prodire. Jamque acies utrinque explicatæ mutuas in se iras vicinis obtutibus exauebant, cum repente ira velut mutuo consensu in commiserationem futuræ cladis

dis versa , unanimes discrimen belli omne singulari Ducum certamine definiendum decernunt. Pomeranorum Dux procera statura , roboreque virium Herculeo fretus, ea pactione commotus nihil, sine mora prodit in arenam. At non iidem animi Micislao, qui vicariam a Filiis propter adstantibus operam frustra requirit: hi enim pariter conditionem velut iniquam respuebant. Non tulit dedecus, Hungarici pectoris Bela (aderat enim cum Fratibus) & sivegenti, jure hospitii jam quasi suæ, vectigalia; sive non vulgarem nomini suo gloriam asserturus, prosilit in medium: se vero si Poloni annuerent, in certamen pro Micislao descensurum, proque gloria Poloniae, etsi res sibi cum ignobili Barbaro futura esset, neque dedecus, neque discrimen ullum reformidaturum, animose proclamat. Recepti Micislaus animos, probatæque dudum magnanimi Juvenis virtuti & vicariam operam, & fortunam belli omnem sine mora mandavit. Nec Pomeranus æmulum, juvenili, ac ideo infirma, ut putabat, ætate præditum, deprecatus est, nisi quod insolenti virium elatus robore, fortiorem peroptasset.

Dato igitur signo adequitant gemini in circum, quem armatae undique acies velut ferreis claustris in orbem sepiebant. Placuit infestis primum hastis concurrere; quibus jam eminus in se intentis, variantibus spe, metuque spectantium animis, Bela suam adeo dextre collineat in æmulum, ut primo illo congressu Barbarum de sonipede momento proturbarit. Porrectus jam humi Barbarus, iraque horrendum infrendens, vix ad capulum respicit, infamiam gladio ulturus; cum Bela simul fulmine ocyus in pedes desilit, simul opima hospitalibus Gratiis hostia litaturus, districtum acinacem in assurgere volentis viscera pernitus immergit, quietem jam humi cæptam æternum prosequi cogens invitum.

Ita non qui fortior, sed qui celerior, sæpe vincit; plusque ad victoriam prudens dexteritas, quam Herculeum etiam robur plerumque facit.

Victor Bela Polonorum, una & Pomeranorum laudibus in Divos pene relictus, a Micislao digna etiam fortitudinis præmia tulit. Nam & Pomeraniæ veterigalia illi attribuit, & Virginem Filiam in sponsam dedit, Magnos illos Reges (quod unum Belæ merita superabat) Geyzam,

zam, & Ladislaum in lucem olim edituram.

Compari pene fato & Opos Bathor Bohemico bello Gygantem prostravit una, trucidavitque. Cui etiam Audacis cognomen peperit victoria, quam de immani Dracone, Ecsediensi regioni diu perinfesto, memorabili fortitudine retulit. Sed de his compendio Historici nostri. Nunc rursus ii, quorum memoria prolixior extat, in arenam producendi.

III. Post ubi Bajazethes ad Nicopolim sexagies mille suorum cæde, victoriam ab hominum memoria maxime cruentam redemit a Rege Sigismundo, pessima Barbarorum vicinitas id saltem commodi Hungaris afferebat, quod militares animosvelut ad cotem in dies exercendi copia suppeditaret. Eos in primis acuerre cepit Isacius (aliis Isach) Rex a Barbaro Mysiæ datus, qui vicinam late Hungariam identidem depopulatus, excividemum in perniciem dudum commertitam, Nicolaum Petri Macedonis Filium, qui Isacio cum barbara multitudine prædæ causa rursus Hungariam ingressus, exiguam suorum manum audenter objectum ivit.

1411.

Jamque structis ordinibus animose utrinque signa tolluntur: concurritur, pugnatur. Fervente ita prælio, cum diu nusquam inclinante acie dimicaretur, Ifacius, velut compendio dubiam adhuc victoriam in suas pertracturus partes, repente in Nicolaum, Ducem cum Hungarorum non vane suspicatus, concitato calcaribus equo invehitur. Constitit audacter Nicolaus, remissoque tantisper spectandi causa utrinque pugnandi æstu, oblatum a Barbaro singulare certamen gestiens init. Sine mora hastis res agi cæpta. Nicolaus simul incursum Barbari dexterrime declinat, simul in ora illius adeo scite intorquet hastam, ut leviter fauciatum e vestigio egerit in præceps. Ita humi latè porrectum pedibus, in quos jam defilierat, fortiter comprimit: & nequidquam aureis promissis vitam sibi depaciscentem, ense in jugulum adacto contrucidat. Barbari propudioso Regis fato exanimati, in fugam, qua via facta, confestim effunduntur. Post ubi plurimis vita, multis libertas erepta est, Nicolaus, pensato ingenti præda Militum sudore, ad Sigismundum Regem Turcica signa misit, victoriam testatura.

IV. Obsidebat Mathias Rex Jaiczam 1463.

Principem Bosniae Urbem, quo tempore, ut in obsidione fieri consuevit, multa utrinque velitantium egregia facinora emicere. Erat inter obsessos Tribunus, cui Mustapha nomen, non vulgari corporis, animique robore inter Barbaros eximius. Hic sive famam nominis sui peculiari aliquo facinore transmissurus ad posteros, sive aliquem obsidentibus terrorem incussurus, Hungaros importunis literis identidem sollicitatum ibat, secum ut fortissimus unus aliquis viricim pro mœnibus Urbis congregaretur. Prodigio simile fuit, neminem e tot Heroibus, qui in lectissimo Mathiæ Regis exercitu eximia fortitudinis laude pene gregatim eminebant, ausum fuisse invitanti Barbaro respondere, prodire in arenam. Instabat Barbarus missitandis perpetim literis eo insolentius, quo se magis timeri non abs re sentiebat.

Rumor hic passim per castra diditus Hungarorum, jam & ad Regis aures allapsus erat; qui palam suorum ignaviam objurgare, aliquos etiam ad audendum excitare non desisteat. Sed enim verba Rex, & promissa perdidit, fatis videlicet

licet eam gloriam Mathiæ Gerebo, Regis consobrino, destinantibus. Hic enim, cum esset admodum juvenis, sive temeritatis, illi ætati propriæ, notam veritus; sive offerentem se adeo nobilem palmam tantis Heroibus præripere non ausus, compressis diu gloriæ igniculis, animum laudis cæteroquin avidum tacitus in se cohibebat. Victo demum juvenili pudore, adstante inter confertos Duces Rege, repente in medium prodit, sique Rex annueret, se cum insolente Barbaro pro gloria gentis decertaturum, intrepide palam edicit. Rex generosa juvenis indole delectatus, tantum abfuit, ut incitatum cognati, tam incertæ aleæ se se commissuri, animum a discrimine dederet, ut stimulos etiam laudis eidem sufficeret ampliores.

Hora igitur nec opinanti Barbaro dicta, descendunt in arenam, pro mœnibus ipsis definitam æmuli, sonipedibus magnifice ornatis in medium inveci. Depugnandum erat non tam pro fortuna belli, quam gloria suæ gentis utriusque. Ac idcirco e mœnibus Barbarorum Duces cum Præfidiariis; ex adverso Mathias Rex cum universis copiis, oculis una, animisque in eventum pugnæ utriusque

que

que arrectis, laudis avidas mentes acrius urgebant.

Signo igitur pugnae accepto, reflexisque tantisper in gyrum equis, concurrunt una fortitudine pari. Diu vibratos ensibus ictus utrinque eludebat fortuna, donec Barbaro tantillum favore visa est, qui Gerebum perlevi vulnere caesum perstrinxit. Hic vero Gerebus, velut sanguine jam liberius ebulliente, totas in pugnam artis, ingenique vires advocare, Barbarum jam eminus circumvenire, jam cominus accedere, scitissimis denique ictibus undique delassare. Respexit demum virtutem, causamque meliorem fortuna, quae Barbarum, seu ictum Gerebi declinantem, seu vi alia impulsam momento effudit in terram. Gerebus sine mora devolat ab equo, ensesque in jugulum Barbari adeo scite collineat, ut cervix a vastissimo resecta collo in auras subsiliret. Elatis, ab Hungaris plausu, a Barbaris desperatione plenis clamoribus, Magnanimus Juvenis, ut erat, sanguine una & sudore undique diffuente, pulcherrime sordidus, arripit crinibus Barbari caput, & ad pedes Consobrini Regis truculentum adhuc projicit, jam iinpune calcandum.

Ita non ætas Heroem, sed animus facit; plus imberbis virtus, quam barbata ferocia in hostem valet, si generosam scilicet indolem nanciscatur.

Rex Mathias effuse lætus, tam illustrem palmam splendido, ut par erat, præmio protinus decoravit, dum victorem Juvenem generoso in primis equo, tum aureis calcaribus, peculiari apud Hungaros Equitum insigni, donavit, palmam exercitu collaudatum.

1490. V. Geminum pene victoriæ decus adeptus est Jaksitius, ejusdem Regis Mathiæ olim Alumnus.

Joannes Albertus naturæ jura, regnandi causa, nihil veritus violare, duodecies mille Polonos sub signis eduxerat in Uladislauum Fratrem, Regem jam ab Hungaris legitime nominatum. Et jam permulta Hungariæ oppida in suam receperat fidem, quoad Cassovia demum nefarios impii conatus infringeret animose, quæ ab extrema æstate in mediam usque hyemem in cassum oppugnata, juratam Uladislao fidem fortiter una & constanter propugnavit.

Eo bello perdurante, forte hostiles exercitus in vicino agebant; cum Tartar-

rus,

rus, qui merebat inter Polonos, animi ferocitate, viriumque robore admodum elatus, aequitat in medium; atque unum aliquem ex Hungaris, qui fortitudine præiret aliis, ad singularem pugnam arrogantissime deposcit.

Non tulit ferociam hominis Jakfitius Equitum Præfectus, compressaque tacite ira, equum concitat in hostem, etiamnum jactabundum. Constitere interim utrinque in morem spectaculi adversæ acies, in partem quoque aliquam seu gloriæ Victoris, seu ignominia victi venturæ.

Protinus æmuli hastis paulum vibratis certamini velut præludunt. Tum acrius congressi, eisdem modo fortiter propellunt, nunc retrahunt caute, interdum ingeniose circumagunt in orbem. Jakfitius demum intorta scite in latus hostis cuspide, velut fulmine Tartarum proturbat equo. Humi dein alliso, seu infixâ jugulo hasta, seu immerso visceribus ferro, animam una exigit & fastum.

Facta nempe Virum, non verba probant. Heroem in arena perraro prodit, qui ante victoriam insolenter triumphum canit.

1514. VI. Georgius Dosa Siculus, fidus adhuc Patriæ Regique, memorabili facinore in peculiari pugna patrato viam sibi fecit ad honores; inde ad supplicii genus vix ulli antehac ævo excogitatum.

Is cum Tauruni equitum præesset turmæ, & non vulgari fortitudinis fama claresceret, ab Aly Epirota Turcicorum pariter equitum Præfecto provocatur ad certamen. Condicitur sine mora: & ad tempus, locumque definitum convolatur utrinque. Alys Epirota ad virium, animique ferociam addidit loricam, quæ pro more gentis splendide auro cælata, validum natura membrorum robur undique communiebat.

Ubi descensum est in arenam, diu cæsim illisos mutuo ictus sive ars, sive ferrum pertinaciter retundebat. Cum denique Dosa, toties viam ad vulnus intra loricam frustra scrutatus, totum, quo valuit, robur in unam colligit dexteram, ictumque in brachium Barbari adeo fortiter vibrat, ut adacto per ipsam loricam ense, loricata manus a corpore defecta momento affligeret humum. Ita Barbaro necquidquam infrendenti, repetito vulnere vitam una eripit & palmam.

Glorio-

Gloriosus tam insigni facto celeriter advolat Budam : præmia fortitudinis recipit de Regia manu ; torque , gladio , aureis calcaribus , purpurea denique veste auro intertexta propalam decoratus. Adeo liberaliter illo avo egregia Militum facinora pensata fuere.

Sordet nempe militi sterilis laurus : ut palma fertilis ultro invitat ad magna audendum.

Georgius amplioribus dein a Rege honoribus excultus, Exercitui etiam per id tempus in Turcas conflando, Imperator datur. Sed honor hic equus illi Sejani fuit.

VII. Agebat apud Keglevitium Jay-1524. ezam adversus Barbaros fortissime propugnans Blasius Kéri, munere Legati functus. Hunc rursus Tribunus Turcorum (Gem a suis appellatus) fortissimum nempe inter Hungaros arbitratus, ad pugnam invitat viritum conferendam. Blasius liberaliter addicit operam suam Turcæ , & non multo post condicto loco præstat.

Placuit equis in arenam invehî, cæsimque decertare. Signo jam dato primum enses pro more amice conferunt ; rum

ferio de capite agunt. Fervebat acere certamen; & quidquid ars utriuslibet, roburque potuit, prætermiffum nihil. Ita diu victoria neutri favente, fortuna Blasio etiam irata visa est. Ejus enim equus five crebris insultibus lassus, five quo alio casu impulsus, repente sefforem secum affligit humi. Sed correxit fortunam virtus. Blasius namque simul scite una & innoxie desilit in pedes; simul enses Barbari, tum in primis lethales ictus intentantem, dexterrime declinat.

Ab eo casu pediti Blasio, conditione admodum iniqua, cum Turca equite depugnandum fuit. Jamque Hungaris Blasio cadente, cecidere animi, Turcæ contra, victoriam a se stetisse rati, hostias etiam audebant insultare. Sed equus duntaxat non item animus Blasium destituit. Ea enim contumelia fortunæ acrius irritatus, dum Barbarum, ab equo jam velut e valle depugnantem undique oppugnat, adeo feliciter in crus illius adigit ferrum, ut pedem integrum uno ictu refecaret a corpore. Immanitatem vulneris metiaris inde, quod Barbaro idem ictus pedem, una & vitam in vestigio abstulerit.

Ita quo præsentius discrimen, eo magis acuere solet heroicam virtutem; fortunæque iniquitas illustriorum forti animo seges est triumphorum.

VIII. Non secus Banffius Virtuti magis, quam Fortunæ prospere litavit; quem tibi jam in arena sisto. 1565.

Tanta erat Georgii Thurii Pannonii fama, ut ab ipsa Mesopotamia in Hungariam exciverit Caralicotium Turcam. Erat hic Barbarus ut robore corporis animique valens, ita ingenio festivus interdum; sed pro suo, id est: barbaro more. Ejus rei specimen prodiderat nuper. Audito enim, Maximilianum paulo ante Posonii Sacra Corona incinctum, districto de more gladio ad Orientem, atque adeo Turciam versus evibrasse ictum, continuo (& ab opio etiam aliquantum incaluerat) obligata capiti fascia in publicum prodit. Sciscitantibus deinde obviis, quid illi doleret? ille, gemitum quoque assimulans voce: vulnus, reponebat, a novo Rege pronuper infictum. Excepit tunc jocularè dictum omnium cachinnus; at biennio post non vanum præsagium verus eventus.

Eo enim bello, quod Maximilianus, ductante Svendio, cum Turca gerebat ad Tibiscum, Caralicotius Valentinum Banffium equestri turmæ Præfectum, unum hunc suo dignum robore ratus, evocat ad certamen. Valentinus & laudis amore, & sociorum cohortatione acrius incensus, provocationem ratam habet.

Procurrunt itaque in medium sonipedibus vecti. Tum adversis hastis rem aliquamdiu strenue gerunt. Sed cum neutri accedere victoria vellet, fortuna pariter destituit utrumque, sola jam virtute Banffio triumphum adornante.

Gemini quippe sonipedes, cum diu affiliunt invicem, resiliuntque, velut victoriam longo sibi fatigio staturam indignati, infesta mutuo pectora tam valide collisere, ut e vestigio velut signo dato se una & sessores affligerent humi. Et ne fortuna alterutrum videretur odisse minus, utrumque sessorem ita in casum propulit, ut subter suum pariter equum incideret uterque.

Sed Banffius, ut virtus fortuitis turbari nescit, animo sibi etiam in casu constans, simul a mole prementis equi se celerius expedit, simul, ut Barbaro turpius aliquid

aliquid morte inferret, de industria succidit poplitem jacenti. Post ubi aliquamdiu frustra conatus assurgere Barbarus, ludibrio habetur, ut ne vel apud inferos gloriari possit, tanti se Herois occubuisse manu; capite per alium, Banffii jussu, truncatur. Ita jocus Barbaro in serium vertit; ac eadem olim opera & Regem ludum vulgo, & se ludibrium dederat fatis.

Et hoc demum vincere est, laudem etiam gloriosi lethi eripere hosti.

IX. Cingebatur corona Sigethum ab 1552.

Aly Eunuchus, & innumera Barbarorum multitudo furore una & ignibus necquidquam affiliebat in arcem. Marcus enim Stansichius, cognomento Horváth, cum Hungaris valde quam paucis ita barbaras infregit iras & minas, ut Eunuchum denique in propudiosam egerit fugam.

Per id tempus, cum Barbari pro mœnibus arcis jam consisterent, Nasufbek Zancziacus Turca, Gygantæa corporis mole, animique audacia prorsus Hercule fretus, non cessabat Hungaros lacerare probris: prodirent, si auderent, confestim in medium; secumque non jam
singula-

singuli modo, verum deni etiam in arena congregarentur.

Erat inter Hungaros pedites (Haydones nuncupamus) abjectus aliquis in speciem homuncio, statura perbrevis: pectore tamen, ut postea patuit, magnanimo & perquam forti. Hic cessantibus reliquis, oblatum a Barbaro certamen acceptat animose, atque annuente Marco, egressus eque arce, in arenam protinus citat hostem.

Concurrunt infestis hastis. Post ubi aliquamdiu aerem frustra verberant, Barbarus velut iratus dextræ toties aberranti, toto quo valuit, robore in Hungarum propellit hastam: quam ipse sua vicissim adeo fortiter excipit, ut inutile hastilis fragmentum pro lauro reportarit Turca.

Inde, procul acta etiam ab Hungaro hasta, velut signo dato admovent capulis manus, distringunt enses, instaurant acrius certamen. Sed frustra rursus ars, robur, ingenium decertavere. Millies vibrati enses vanos in ictus denique recidebant. Hungarus demum impatiens moræ, facinus audet, nisi tot spectatores habuisset, in fabulas referendum.

Admoto quippe repente propius equo, insilit in collum Barbari, vastamque illam molem arctissimo ligat amplexu. Hic dum Barbarus appensa ingratis sarcina se laborat expedire, ambo velut mutuo pondere prouunt in præceps. Sed Hungari dexteritate factum, ut incideret Turcæ.

Exoritur inconditus spectantium clamor & fremitus. Jamque furibundi Turcæ suppetias veniebant suo. Verum Hungarus nihil moratus educit a latere brevem gladium: tum præpingue Barbari, frustra se humi versantis, abdomen animose recludit: & eodem vulnere intestinis una & impuro animo viam aperit ad effluendum.

Adeo nihil officit corpore Tydeum esse, modo quis animo Herculem ferat.

Spectasti jam in arena eos, qui mihi in memoria primi. Reliquos (& pluri mi superant) jucundius olim, si otium tulerit, in annalibus spectabis. Attexam hic geminos, qui supra Hereuleum robur inermes valuerunt in armatos.

X. Joannes Corvinus quid valens, atque armatus potuerit in hostes, etiam inermis, ac viribus exhaustus documentum dedit.

Tri.

1448. Triduum Duce illo totum tenuerat atrox cum Turcis dimicatio in Campo Merularum ; & quia cum innumerabili multitudine res illi fuit. Amurathi denique coactus est cedere victoriam , sed quæ Tyranno quater & trigesies mille capitum constiterit lytro , Hungaris octies mille non amplius desideratis.

Ab hac igitur pugna Corvinum , dum fuga suæ , Patriæque prospicit salutem , tridui jam fame jejunum una & inermem , invadunt latrones bini. Jamque direptis vestibus vitam etiam rapturi erant , nisi crux , quam auream de collo suspendere solitus erat , fuisset salutem. Eam enim seu vi detractam , seu sponte a Corvino datam in pretium vitæ , cum sibi uterque latro contendit vendicare , Corvinus , jam in omnem asserendæ salutis occasionem intentus , audax consilium init. Altercantibus quippe illis , repente in mucronem , qui proximus a latronis extabat latere , involat , quem vagina momento direptum ita in caput unius adigit , ut e vulnere allisus humi , conculcatusque mortem in vestigio oppeteret , non tali manu dignam. Jamque gladium , cruore socii adhuc stillantem ,
in

in alterum quoque distrinxerat; sed is, cum sibi compari fato cerneret pereundum, præcipitata in avios saltus fuga, incolume servavit jugulum, melius olim frangendum in furca.

XI. Geminum est illud Stephani Zá- 1482.
pollya. Diu jam Fridericum inter & Mathiam Regem gliscebant similtates, quoad in apertum denique bellum erumperent. Mathias Hamburgum, ea tempestate locum natura & arte munitissimum, propediem obsessurus, forte inaudierat, suppetias Oppidanis a Cæsare venire. Celeriter itaque Stephanum, equitum tunc Præfectum, cum aliquot velitibus expedit, subsidiarias copias speculaturum.

Cum in agrum Pruggensem ventum est, obviam se Hungaris nec opinantibus ferunt tria equitum Germanorum millia, quæ in pauculos illos speculatores continuo fortiter procurunt. Hungari numero diffisi terga confestim occipiunt dare. At Stephanus propudiosæ, ut interpretabatur, fugæ impatiens, semperque adhuc vincere assuetus, dum in ultimis frustra ordines, animosque palantium reparat, in potestatem hostium

VIVUS

vivus venit. Ita exutus armis, geminis custodibus Pruggum traditur abducendus.

Ibat jam ineremis armatos inter medius, & ut magnæ mentes nunquam sibi excidunt, qui contumeliam fortunæ ulcisci possit, ultro, citroque cogitationem intendebat. Cum denique impatiens probri, ex insultatione hostium nimium quantum augetentis, ad egregium facinus animum una viresque obfirmat, certus pulchre mori potius, quam vivere propudiosè.

Vix quippe tantillo a copiis Germanicis intervallo productus fuerat, cum repente custodis, qui lævam tenuerat, pendentem a latere gladium invadit, quo etiam quam ocyssime districto tam alte in viscera illius descendit, ut e vestigio sanguinem una, & animam efflaret. Compari mox animo in alterum seu insolente audacia obstupefactum, seu nequidquam repugnantem, adigit cruentum enses, quo denique cæso, fugam arripit per avia loca: feliciterque elapsus salutem sibi, se Mathiæ Regi, cum summa omnium gratulatione gloriose reddit.

Scilicet ut in periculo imminente prudens cautela, ita in præsentia audax interdum animositas fortem addecet Virum.

Ejus

Ejus opera Mathias deinde usus, Hamburgum primum, Viennam postea subjugum Hungariæ misit.

§ IV.

Fortitudo devoventium se pro Patriæ Salute.

Sapientis est negligere mortem; Herois vero, si salus quidem publica poscat, ultro etiam expetere, ac ambire. Quæ in re præcipuam fortitudinis laudem collocavit vetustas. Hinc illæ Codrorum, Deciorum, & Curtiorum Devotiones tot encomiis apud Veteres claræ. Specta jam Ariste, e nostris paucos! Et primo quidem loco geminos Athletas, non, ut olim, delicias in arena facturos populo, sed pro aris & focus ad mortem usque colluctaturos.

Palæstra prima, sudore una & sanguine Christiani Martis toties respersa, Belgadum esto.

I. Eam Urbem Mahometes II. milli-1456.
bus Barbarorum omnino quadringentis
E terra

terra cinxerat, & Istro: Hunniades cum Capistrano & paucis suorum pro more fortiter propugnabat. Jamque tempestas barbara, cum in animos Hungarorum posset nihil, in mœnia tam enormi desævierat strage, ut aditus undique paterent hosti. Opposuerunt pro muris animos Hungari adeo fortiter, ut ex aggestis Turcorum cadaveribus nova surgerent mœnia in ruinis. Verum numero denique prævalente in Urbem se Barbarus infudit.

Jam in foro prælium fervebat; cum Signifer Turcus præaltam in turrim enititur, Lunam illic in victoriæ signum defixurus. Advertit ea res militem Hungarum (nomen eripuit tempus, cum famam non posset) forte propter turrim acriter dimicantem. Premit is vestigia Barbari; inque apicem turris ea, qua Barbarus, eluctatus via, Lunam illi de manibus vi nititur extorquere. Sed par utrinque robur ita sors moderabatur, ut uni præ quam alteri sæpe favere visa sit, dederit se totam neutri. Ita cum diu neque ille signum tollere, neque hic eripere per vires posset, audax Hungaro consilium subit.

Dolebat illi acrius, signum Turcicum
 etfi fastigio turris nondum defixum, e-
 minere tamen ita, ut aspectabile undi-
 que & stimulos hostibus subdere, & suis
 animos facile infringere posset. Cujus
 ille doloris una & moræ impatiens, vi-
 tam amittere maluit, quam palmam. Di-
 misso itaque, quod adhuc una tenebant
 signo, collectisque ultimis, quæ supera-
 bant, viribus, Turcam arctissime brachiis
 amplectitur: tum aliquoties libratum im-
 pellit in casum, secumque una e subli-
 mi præcipitem in imum agit.

Scilicet fortis animus per præceps
 etiam ad culmen gloriæ eluctari potest;
 cadereque gloriosum ducit, si casu illius
 patriæ sibi constare salus possit.

Stetit & Belgradum Hungaro cadente.
 Mahometes quippe, posteaquam
 quatuor admodum & viginti horis fru-
 stra decertasset in Urbe; accepto imo vul-
 nere una & quadragies mille suorum
 clade pœnas dedisset, per eandem, qua
 irruperat, murorum ruinam, ab Hunga-
 ris ejectus est adeo turpiter, ut ad By-
 zantii mœnia demum palantem suorum
 fugam sisteret & metum.

II. In simili prorsus arena desudaverat & Jayczæ postea Hungarus alter, facinore solo rursus post obliteratum nomen clarus.

1464. Forte idem Mahometes ob ereptam sibi nuper a Mathia Rege Jayczam furore pene amens, validum, omnique armorum genere instructum exercitum admovet urbeculæ illi. Muros dein arietibus, æneisque machinis die quassatos & nocte adeo labefactat, ut aperto jam in urbem Marte aditum urgeret. Hungari, quorum pauci præsidio illic relictæ fuerant, irruentem undique multitudinem adeo fortiter propulsant, ut ultra murorum ruinas Barbarus non figeret pedem. Erant tamen è Turcis, qui solita efferrati rabie, murorum in fastigium eluctarentur interdum, confestim in præceps proturbandi.

Hos inter Signifer Barbarus enititur in turrim, late a propugnaculis despectantem. Jamque Lunare signum, Barbaris ad victoriam oriturum, in fastigio defigebat; cum Hungarus Miles, forte illic positus in statione, assilit in Barbarum, signum de manibus vi erepturus. Sed is viribus potior adeo repugnat, ut Hungarum longiore illa colluctatione delascaret,

saret. Hungarus morti potius quam hosti succumbere certus, ingenio demum uti decernit ad victoriam, etsi caro, quia vita, constituram. Repente quippe in collum insilit Turcæ, arctoque illigatum nexu, secum una præceps in confertos subter hostium globos momento propellit.

Affixit casus hic Barbarorum animos adeo, ut denique feliciter rejicerentur ab urbe, non multo post sola Mathiæ Regis, suppetias, ut falso sparsum, venientis fama in fugam agendi.

Nec minus in memoria posterorum vivere meretur, qui ut Patriam servaret in Rege, vitam pro Rege ultro prodegit. Talem jam Deseum, aliis Dercum dabo.

III. Præerat Valachiæ tributario jure 1330. Bazaradus, quem Hungaris adhuc valde quam fidum, ut Carolus Rex bello impeteret, aulicæ quorundam, atque in primis Dyonisii Pro-Regis artes effecere. Igitur adornatur exercitus; & Rege ipso ductante populabundus Valachiam invadit.

Bazaradus pacem quibuslibet conditionibus frustra depacisci conatus, per Le-

gatos etiam contumeliose habitus a Rege, exardet in vindictam. Eam orsurus ab astu, Regem ad interiora Valachiae ingredi sponte finit. Ibi dein evacuatis ante omni annona, homine, pecoreque locis, fame primum vincit adeo turpiter, ut pacem & reditum pene precibus redimere habuerit necesse. Bazaradus, ut violatam fidem perfidia tutius ulcisci posset, utrumque liberaliter adpromittit, obsequium etiam, ac vectigalia rursus, assimulata fide addicit Regi.

Nec mora: collectis vasis, vertuntur Regis edicto signa, exercitusque diuturna fame admodum debilitatus, viam relegit securus. Ventum erat ad Valachiae fines, quos prærupta montium, imaque convallium undique constituunt. Jamque profundiora sylvarum Hungaros accepere: cum repente hostilis undique strepitus primum exsonat; tum rapacissimorum torrentum instar ab omni jugo Valachi prouunt. Hungarosque nihil tale metuentes, ac fame jam, difficilique via penitus delassos, fortiter adoriuntur, perturbant, cædunt.

Sed præcipua tempestes incubuit Regi, quem unum Valachi, ut erat præceptum a Bazarado, ad necem quaquaver-

sum

sum per strages inquirunt. Quæ res tibi Carolum Regem advertit, frustra effugium trepidus ultro citroque circumspēctat. Jamque Valacho furori immolandus erat, nisi Deseus Dyonisii Pro Regis filius hostiam se pro illo dedisset. Hic enim ut in Carolo servaret Patriam, quam Pater pessimo consilio perditum iverat, insignia ultro deponit a Rege, fortuna illius periculoque defuncturus. Nihil cunctatus Rex vestes sibi detrahit & arma, equumque & insignia Deseo tradit.

Ita ementitus Regem Deseus, simul in confertum invehitur hostem, simul furorem in se unum omnem avertit a Carolo; qui cum paucis avia elapsus fuga, alieni periculo capitis suum incolume Patriæ servavit.

Deseus interea perire jam avidus, quacunq; per hostes fertur, pro strage ruinas edit, quoad telorum undique allabentium vi densa obrutus, finem vitæ, non gloriæ fecit; quæ inde illi etiam ad famam illustrior fuit, quod pluribus Hungaris interitu suo attulit salutem. Etenim cadente mentito Rege, furor simul cecidit Valachorum; qui nece Regis ad ictum in primis destinati, vindictæ li-

tasse contenti, dum receptui una, & victoriam canunt, residuo militi Hungarorum copiam faciunt salutis a fuga petendæ.

IV. Deseus in Rege Hungariam; at Simon Kemény Europam in Hunniade vicaria pariter morte ab interitu vindicavit.

1441. Obtigerat Hunniadi cum Prætura Daciæ, simul prima belli cum Turcis arena, in qua ille scilicet initiaretur ut Tyro ad victorias secuturas. Prima illi decertatio fuit cum Mezethe Bassa, qui numeroso cum exercitu de improvise in Daciam irruit grassabundus. Occurrit non longe Alba Julia cum subitariis copiis Corvinus, congregaturque. Sed fortuna, ut ingentem illum animum ad ampliores palmas irritaret acrius, victum ea vice discedere de arena sponte coegit.

Reparatis ergo reliquiis, cum Turcum victoria æque ac præda ovantem insequitur: per exploratorem, quem hostium consilia observatum miserat, fideliter edocetur: præcepisse suis Mezethem, fortissimi quique ea ruerent parte, qua Corvinum adverterent depugnaturum. Hunc unum sibi quisque designaret ad ictum: victoriam sine illius clade pro
nulla

nulla haberent. Et ne ab imperatis Barbaros abstineret aliquis error, volitare jam passim per ora Turcarum imaginem Corvini, os illius & arma, vestesque & signa vivacissime depingentem.

Vix Hunniades consilia hostium communicat cum amicis; cum Simon Kéményius; eidem ut amicus in paucis, ita os humerosque perquam similis, vicariam operam sponte desert. Quam & Corvinus, e salute publica futurum id ratus, Simoni continuo mandat. Igitur sine mora, quo verius mentiretur Corvinum Simon, vestes illius, & equum, arma & insignia sumit. Itur, qua cæptum, in hostem: & aliquanto post prælium atrox initur cum Mezethe.

Cum jam nusquam non Mars cruentus efferveret, tum ea in primis parte, qua fictus Hunniades Cataphracto stipatus agmine decertabat. Huc omne Turcarum incubuit robur, quod cum aliquoties Simon incredibili strage succideret, recens identidem, & ad instar Hydræ propullulans, succrescebat.

Interea verus Hunniades parte altera rem verbis una & gladio pro more fortiter gerit, barbaramque illam multitudinem tanta undique premit clade, ut sci-

ret Mezethes plures in Hungaris numerari Corvinos.

At Keményius, cæsis jam, qui latera defensabant, ad unum Cataphractis, memor & Personæ, quam sustineret, & amici, pro quo caput devovisset, fortissimos Turcarum continuata late strage in suam ciet cædem. Quacunque inventus erat, ibi haud secus, quam si desæviret fulmen, ruinas agebat acies hostilis. Ita diu Fabula simul Tragœdiaque egregie acta, mille jam obrutus telis, ut salus amici Patriæque staret, concidit exanimis; eamque occubuit necem, cujus ne Corvinum quidem ipsum sup-
pudere posset.

Cadente jam simulacro Ducis Hungari, arrexit animum ad palmam Turca. Sed enim vivere Corvinum adhuc, mox ex interitu didicit suo. Dum enim ficti Hunniadis neci robur Turcicum insudat omne, jam alibi reliquam aciem fundit Hunniades verus. Cui cum Mezethes succurrere pergit, sero se ludificatum infrendens, suorum adjuvat fugam, & cladem. Eo prælio vigesies mille Turcarum cæde fidei Amici litavit Corvinus. Mezethes etiam non multo post retractus e fuga, gemina victima, sua nempe

pe filiique cæde, celebritatem auxit inferiarum.

Miretur jam Orbis præ quam istos, veteres illos Codros, Curtios, Deciosque. Imo tanto illustriorem his gloriam deferat oportet, quanto fortitudo temeritati, superstitioni pietas antecellit.

V. Post Decios nunc Mutium in scenam dabo, qui non manum solum, sed & totum se in frustra dissecandum Patriæ devovit.

Carolus Robertus, Matthæi de Tren- 1312.
chén, legitimum Regem adorare abnuentis, contumaciam perdomiturus, exercitum promoverat ad Cassoviam usque. Ibi conflixit cum Matthæo tam atroci pugna, ut præter unam, quæ ad Sajonem amnem facta est, Hungaria parem viderit cladem nunquam. Quippe seditiosi post cædem late in Regiis editam, ad ipsos usque Triarios se se penetrant, Regique jam ipsi periculum non leve creant.

Jamque Triarii respectabant ad fugam, quæ totam Caroli aciem haud dubie rapuisset secum: nisi nutantes fortiter stitisset memorabilis Signiferi animositas, quem Gurciam appellavere. Hic
dese.

deferens Prætorium signum eousque Triariorum animos & arma confirmabat, quoad inter conferta hostium cadavera omnes ad unum pulcherrimam occumberent necem.

Præsidio demum nudatus omni, de statione ne latum quidem unguem dimoveri potuit. Frustra diu in unum pugnant fortissimi quique, signumque illi de manibus, tam irrito conatu, quam Herculi Clavam, eripere tentant. Post ubi jam velut laurum de cadaveribus hostium sibi nexuit in orbem, succubuit denique multitudini unus; ac recisa primum dextera, tum in frustra concisus, vexillum seditiosis cessit, at non palmam. Acciso enim hic Matthæi robore victoriam etsi non incruentam, etiam post factum asseruit Regi.

Ita fortes animi morte ipsa Patriæ redimunt salutem; & si e republica sit, tam lethum expetunt, quam ignavi expavescere solent.



§ V.

*Fortitudo perseverantium
in statione usque ad mortem.*

Leonidæ nunc decertabunt in arena,
qui vitam potius, quam stationem
assignatam a Patria deserere maluerunt.
Paucos rursus producam e multis.

I. Solymannus, ut a Belgrado coro- I 521.
na jam cincto suppetias, quæ secundo
Savo defluere possent, abstineret; expe-
dierat Achomatem Purpuratum cum le-
ctissimis copiis ad Szabacium (in ripa Sa-
vi situm) in suam potestatem redigendum.

Excubabat hic in statione Simon Lo-
godius cum peditibus non amplius cen-
tum, equitibus valde quam paucis. Acho-
mates, de exiguo loci præsidio edoctus,
primo sui conspectu deditionem somnia-
re capit. Sed enim Logodius & effu-
sam e Colubrinis procellam, & Barbaros
cominus accedere ausos adeo fortiter a
munitione propulsavit, ut nova e Soly-
manni castris auxilia, majorésque mura-
les machinæ fuerint arcessendæ: e qui-
bus

bus tanta vis globorum in muros diu noctuque postea depluebat, ut demum ruinæ arcis undique paterent.

Jam & fossæ, quæ circum aquis restagnabant, aggestis virgultorum fascibus solo æquata, aditum ad ruinas aperuerant hosti; nec tamen Logodius, cum facile incolumis Savo elabi posset, de statione vel pilum decedit, locum certe, cum tot jam hiatibus fatiscentem retinere non posset, caro Barbaris venditurus. Igitur obfirmato in decoram pro Patria mortem animo, socios quoque in ejusdem laudis communionem facile pertrahit volentes. Icitur junctis omnium dexteris fœdus, Sacramento etiam firmatum: vitam prius a singulis, quam stationem desertum iri.

Ita comparati, perinde ac victoriam in manu haberent; in ruinis murorum intrepidi operiuntur Barbarum, per æquatas jam fossas in oppidum assilientem. Prima Turcarum impressio validissimo Veteranorum Persicis, atque Ægyptiis bellis probe exercitatorum robore constabat. Eam pauculi Hungari, vulneribus jam continuisque vigiliis delassi adeo animose sustinere, ut præter ingentem sauciorum numerum cadavera Barbarorum

rum septingenta sibi substernerent in sepulchrum. Multitudine demum victi, eam, quam singuli propugnabant vivi stationem, non nisi pulcherrimo defuncti letho cessere hosti.

Suos nempe & mors pulchre obita Heroibus adornat triumphos; quando eadem secum ruina victi obruunt Victores.

II. Post ubi civilis discordia Budam 1552. Regni Caput sub jugum miserat Barbariæ; in idem & plura Hungariæ membra se induere habebant necesse. Alys Eunuchus, Budæ Præfectus, ut permolesta Hungarorum, ad ipsa interdum Budæ mœnia invisentium, vicinia liberaretur, dena suorum millia educit in campum.

Primam Dregeli arcem destinat ad ictum, quam Georgius Zondius cum pauculis rursus Hungaris præsidio militari accurabat. Turca erectis celeriter noctu vineis, aggeribusque, muros igne ab æneis machinis depluo tam fortiter quatit, ut & turrim portæ incumbentem sterneret, & latera muris non admodum firmis facile nudaret.

Labefactata jam penitus arcula, non dubitavit Alys labare quoque animos ob-
fesso-

sefforum. Itaque nunciat Zondio, dederet locum tempori, incolumis arce excedere vellet: Heroem in se tantum, quantus esset in ore omnium & fama, melioribus servaret fati, nobiliore olim letho perfuncturum. Sed enim fortiores muris animos Barbarus in Zondio nactus, responsum tulit: vita Hungaros potius, quam statione decessuros.

Nec ignavius egit Zondius, atque respondit. Cum enim arculam teneri posse desperaret, jubet primum Christiano more suorum animos expiari; tum, ne quem hosti victoriæ fructum faceret reliquum, sonipedes, quos alebat generosissimos, lancea configit omnes: suppellectili etiam pretiosæ, pecuniæque in cumulum aggestæ facem subdit, omniaque flammis exurit.

Fertur inde primus in Barbaros, in ruinas murorum jam eluctatos. Tum vero arcis rudera adeo strage Turcica complet, ut vitium omne, quod hostis fecerat, aggesti cadaverum acervi emendare viderentur. Nemo illum cominus laceffivit impune; ictusque Barbarorum contra unum undique pugnantium non scite solum eludebat in orbem, sed intentatas etiam mortes regerebat in hostes,

stes. Plumbea deinde genu trajectus glande tantum abest, ut depugnandi remitteret æstum, ut a casu etiam fortior magis intenderet. Gemino innixus popliti, eousque rursus instaurat stragem, quoad muralem sibi coronam de funeribus hostium faceret circum.

Demum, ut virtus etiam heroica numero denique victa succumbit, exceptis aduerso pectore aliquot glandibus, corruit in statione. Barbari tum primum cominus exanimem ferire ausi, resectum caput deferunt ad Alym, qui raro in hoste exemplo, non virtutem solum Zondii, quod decoram pro Patria mortem adeo fortiter oppetiisset, palam suis colaudavit; sed & militares eidem exequiarum honores voluit haberi. Utque tam rara virtus magis conspicua foret, vicino in monte posuit Heroi tumulum; diu postea hasta & vexillo aspectabilem.

Rarum triumphii genus, etiam post fata extorquere victoriam ab hoste (& tali hoste!) se quasi victum ultro confitente!

III. Haud disparibus animis centum 1565. non amplius Croatæ pedites Crupam arcem in ulteriore fluminis Unnæ ripa si-

tam defensavere. Cinxerat eum locum
 perfrequentibus copiis ex Illyrico toto
 contractis, Mustapha Bosniae Praefectus,
 solo, ut rebatur, terrore deditionem ex-
 torturus. Sed enim larva territavit for-
 tissimos propugnatores: qui vitam ante
 quam arcem sibi e manibus ereptum iri,
 animose Barbaro denunciant.

Mustapha, quidquid barbarus furor
 in obsessos potuit, praetermisit nihil. Ju-
 bet arculam continuis ignium e machi-
 nis detonantium fulminibus verberari;
 crebrisque impeti assultibus: non die re-
 spirium obsessis, non nocte datum.

Quinum jam supra vicenum diem
 eam tempestatem centeni Heroes susti-
 nuere, ingenti semper clade in authores
 regesta. Cum denique in furias actus
 Barbarus suis edictum prodit: starent om-
 nes ad aggrediendum accincti; equi-
 tes etiam in pedes desilirent: quidquid
 viribus, numero, furore possent, afferrent
 in assultum: aut pereundum esse omni-
 bus, aut arcis potiundum.

Dato igitur signo, Barbari ab ultima
 spe impetum faciunt in arcem, igniumque
 tempestatem, quantam potuere maxi-
 mam, in obsessos effundunt. Crederes
 incendiis late per tecta fuis militares

Heroum

Heroum illorum ignes adjuvari: adeo fortiter Duce Bakitio procurrunt in muros: pectora, tela, enses opponunt barbaræ rabiei. Hic vero, etsi peracri tot dierum propugnatione viribus exhausti, incredibili fortitudine clades accumulant cladibus, quoad post erecta gloriæ suæ, ex acervis cadaverum trophæa pulchre cadendo eam, quam vivi tenuerant, stationem etiam mortui occupaverunt.

Tanto nempe lytro Victoria hosti ab Heroibus licet! si tamen Victoria, quæ Victori lachrymas exprimit, & ejulatum.

IV. Ultima hic statio, tot olim Heroum virtute perquam nobilis, Sighetum esto.

Solymannus, ille Orbis Christiani terror, continuato victoriarum cursu prætumidus, affuderat loco illi Barbaros centies quinquagies mille. Nicolaus Zrinus, inclytum illud apud omnes gentes Nomen, cum Hungaris admodum bis mille supra quingentos præsidium obtinebat. Volumen facerent omnia, quæ hic dies non amplius sex & triginta immortaliter ab Hungaris gesta, prodidit Annalium fides. In summa: tantillo tempore vicies pene in mœnia procellam ef-

fudere Barbari; totaque illa, quam innumerabilis multitudo facere poterat, impressione, in Hungaros affiliere: æneis quoque machinis dies fere noctesque de-tonantibus in arcem.

Sed impavidam Zrini virtutem frustra feriebant ruinæ tantæ. Restitit is adeo intrepide, ac etiam fortiter, ut cladem a Barbaris toties intentatam regeret semper in authores. Post quinque & viginti Turcarum millia sub ruinis duraxat murorum consépulta, ipsum etiam Solymannum vehementia morbi, an quod verius, desperatione furoris plena extinctum, gratissimam Christianæ Paci victimam immolavit.

Et jam vasa conclamaturus erat Turca, quem eatenus fortuna Solymani potius, quam subigendo Zrini par virtus, spe tenuerat deditiois. Sed Mahometes Purpuratorum Princeps altum celata Barbaros Tyranni morte, cum assimilato Solymani edicto rursus in arcem impetum fieri jubet, fortunæ denique prospere litavit.

Rejectis enim cum strage jam vicissimum Barbaris, cum ignes undique depluerent in arcem, sævior hoste flammæ copiam demum propugnandi eripuit Zrini-

nio,

nio, non Virtutem: quæ ut illi pro merito eximiam ante alios Heroes gloriam adornaret, in extremum pro more suo discrimen Heroem adduxit. Fundebatur late per tecta incendium, nulla jam ope restinguendum, annonam etiam, quæ admodum parce suppeditabat, solita voracitate pepastum. Barbarus interim pro ruinis murorum, pro arcis porta immensum agglomeratus, irruptionem eo urgebat undique acrius, quo validius intestinus hostis grassabatur. In re adeo conclamata Zrinus post binas munitiones jam igni devastatas, atque dirutas, in ultimam pari cum Vulcania decertantem receptus, salutem non victoriam desperare necesse habuit.

Audi facinus, cujus ut memoria, ita admiratio apud nullam intercitat posteritatem! Ut enim fati una & hostis de se triumphum anteverteret, splendidum, velut de utroque triumphabundus, induit apparatus. Ergo cassidis vicem subit pileus gemmis ornatus & cristis: reliquum corpus purpura convestit auro distincta; armillæ aureæ laurorum instar manus incingunt toties victrices. Paternus ensis dexteram armat, nec in morte degener futurus. Claves etiam ar-

cis, aureosque centenos suspendit a lateribus in crumenis: illas, ut ne vivus traderet Sigethum hosti; istos, ut præmium aliquod essent, Heroem tantum interfecituro.

Nihilo secius Commilitones, qui sexcenti admodum superabant, in pulcherrimæ laudis societatem a Zrinio pertracti, velut in pompam triumphi se se adornant. Singulorum dexteras armant mucrones nudi; atque ita loricis etiam, quo habiliores essent recipiendæ neci, in cumulum temere abjectis, supremum Ducis imperium intrepide præstolantur.

Nec mora: Zrinus tormentum, quod habebat arx maximum, ferreis scrupis, globisque quam plurimis ante repletum portæ adverti jubet. Reseratur porta: solvitur tormentum: Barbarosque ut iruebant, omnino sexcentos momento sternit. Classico deinde Sanctissima Nomina canente erumpit cum suis Zrinus.

Facile conjeceris, quantum cladis hic ac ruinæ Barbaris illatum. Scis in Heroem animis, quo timoris minus, eo minus periculi, plus inesse audaciæ. Ruebant securi, imo & avidi mortis per medias acies, velut pestifero sidere longe, lateque stratas. Demum super aggestos
cada-

cadaverum acervos gloriosas se victimas Patriæ singuli dedere. Quaternos tamen ex illo numero, seu virtus, etiam tanta multitudine superior, seu fortuna servavit, totidem rerum a sociis fortiter gestarum testes & præcones.

At Zrinii virtus hic velut in ultimo Heroicæ fortitudinis actu in primis emittit. Non minus oratione, qua suos inter exsonantes armorum ictus identidem animabat, quam gladio terrorem per acies late circumtulit & stragem. Quicumque obfistere audebant ruenti, viam illi ad gloriam cadaveribus adornabant.

Ita cum cominus non auderet, eminus Mors Heroem gemina sustulit glan-
de. Timere hostes etiam extinctum; neve aliquid audere post fata posset, mortuo rescuerunt caput. Id postea, præfixum hastili, cum stragem non posset, pavorem late sparsit per acies Barbarorum. Et ne sua tantus Heros apotheo-
si fraudaretur, idem caput pretiosis delibutum odoribus ac bombyce obvolutum, primum ad Mustapham Budæ Præfectum, ab hoc ad Maximilianum Cæsarem dono transmissum fuit, dignum per orbem triumphali pompa circumferri.

Novi, Ariste! memorabile hoc Zrinii facinus temeritatis nota hodie non abolveretur. Sed Hungaris cum Turca ita decertandum erat: ita vires Græciæ totius, & Asiæ, quas barbarus furor toties in solos exertabat, infirmandæ fuerunt, & accidendæ. Sane (mirum, at verum dicam, quia a Viro perquam erudito curate ad calculos revocatum) Unum Sigethum, Duce Zrinio cum illis pauculis ita propugnatum, universe octoginta millium clade constitit Ottomanno. A tanto numero, si in ignavum quempiam offendisset, Superi! quæ ruina Hungariæ! quæ clades Reipublicæ Christianæ! Tanti refert vel unum interdum audere.

§ VI.

*Fides Patriæ, Regique cum
periculo capitis fortiter
servata.*

ET his quidem, quos adhuc produxi, præ vita potior fuit in Patriam fides; Thomas Nadasdius, erudito etiam Lipsii calamo celebratus, pretiosius aliquid vi-
ta,

ta, libertatem videlicet eidem fidei im-
molavit, tanto majore gloria, quanto
fortius est de gemino hoste, domestico
nempe & externo triumphare.

I. Venerat Solymannus cum Barba- 1529.
ris centies quinquagies mille suppetias
Joanni Zápolya. Remque orsurus a ca-
pite, Budam, Regum olim sedem, pri-
mam Ibraimo præcipit subigendam. O-
cyus ergo circumfundit se immensa Tur-
corum acies, numero, ferocia, apparatu
bellico admodum formidanda, primoque
statim impetu urbem occupat, nostris
non amplius septingentis in arcem se re-
cipere coactis.

Thomas Nadasdius Hungarico una
& Germanico præsidio accurabat urbem,
non ea, qua nunc arte munitam, ut quæ
delicias ad levandos curis animos potius,
quam præsidium adversus hostiles impe-
tus Regibus præberet. Hic veteranus
plurimarum palmarum Heros, arcem sal-
tem, cum Urbem non posset, etiam cum
periculo capitis in fide Ferdinandi Regis
servandam, animose decernit.

Sed non eadem fides, non iidem ani-
mi Pesserero & Traubingero Allemanni-
carum cohortium Præfectis, qui a ger-

mana gentis suæ gloria, fideque turpiter degeneres, se una Budamque perditum iverunt.

Forte validius Turcorum agmen ea, quam hi propugnabant, parte, in arcem assilire cepit. Hic in medio assultus æstu Barbari cum armis strenue oppugnant, verbis & promissis Alemannos etiam expugnare tentant. Cessarent, aiebant Barbari, in torrentem niti: capiti suo prospicerent maturato. Pessime perituros ad unum omnes, nisi tempori de arce dedenda paciscerentur. Nunc a Solymanno incolumitatem offerri benevole: salvi abire, suas sibi res habere, si saperent, adhuc possent: salutis dehinc spem præcidi omnem.

Facile promissa, & verba vicere victos jam ante metu. Et jam pene subscripserant Barbaris; nisi res Nadasdium parte altera fortiter mœnia propugnantes tempori advertisset. Hic enimvero turpitudine rei supra quam credi potest commotus, exprobrata primum perfidis ignavia, effuso dein e tormentis in Barbaros obversis ignium imbre, colloquium una & perfidiam ea vice abruptit. Sed Alemanni, recepto jam intra viscera timore, urgere denique deditioem: Tho-

mam

mam qua precibus, qua argumentis pertinaciter oppugnare; minas etiam, nisi se suosque quantocyus asserat in libertatem, per summum nefas Heroi intentare.

In cassum omnia. Thomas enim sive Barbaro ad obsidendam Viennam, ut jactabat, celeranti si non obicem, moram certe aliquam positurus; sive fidem Ferdinando Regi addictam sanguine etiam contestaturus, arcem quamdiu posset, retinere tutarique fixum animo habet.

Non tulere perfidi constantiam Herois. Accipe rem indignam! Irruunt de improvise in Thomam, vim & manus Capiti suo, frustra Superum, & Ferdinandi fidem obtestato, perduelles asserunt: in vicinum denique conclave, velut in ergastulum, captivum Ducem compingunt.

Ita secure jam perfidi recludunt arcis portam, Barbari fidei se locumque permittunt, bis centies septuagies mille Christianorum funeribus (tanta enim clade univere Budæ receptio postea constitit) olim redimendum.

Irruit ergo Barbarus. Alemannos armis, rebusque suis (en primam talionis pœnam) exutos confestim excedere, proque Urbis porta imperium præstolari jubet.

bet. Producitur interim Nadasdus e custodia ad Ibrahimum Principem Purpuratorum; Objurgatur primum, quod ipse Hungarus in Hungarum (Joannem Zappolya) pro Germanis arma sumpsisset.

Verum ubi vim illi a suis nefarie illatam edoctus est Barbarus, insolens etiam in Barbaria nefas admodum detestatus est. Tum Alemannos incolumitatem adhuc præstolantes, immixtis Janitsaris protinus concidi jubet, ultione utique, nisi barbaries corrumpere, multo justissima. Thomam vero, ob tantam in Regem suum fidem palam collaudatum, liberali stipendio ad se invitat: Renuentem muneribus splendidis, missioneque donat.

Barbari, si tamen Barbari, æquitatem; an Thomæ fidem mirere magis? Adeo natura ipsa etiam moribus effera perfidiam horret: nemoque in feram ita obduruit, qui germanam fidem, commune illud societatis humanæ præsidium, vel in hoste non probet, non admiretur.

II. Digna sane admiratione & illa fuit, quam Nicolaus Jurissics in propugnando Ginsio eidem Ferdinando integerrime una & gloriose præstitit.

Soly-

Solymanus ingentem exercitum, 1532. cujus armis totum se orbem perdomiturum insolenter jactitare solitus erat, repente admoverat urbem illi, a natura tum nihil, ab arte adeo parum communitæ, ut in muris perexilibus ruinas undique ageret vetustas.

Sed enim emendavit parum fidum murorum vitium fortissima Nicolai fides, quæ dies tres & viginti furorem barbarum virtute vix credibili sustinuit, & repressit. Sexagies & centies mille Turcæ frustra identidem impressionem fecere in muros. In caudem sæviit illa tempestas. Igitur cum retusa identidem, atque ab ipsis etiam murorum ruinis cum strage propulsata nihil proficeret, furorem denique posuit, clementia, ut spes Turcam inflabat, validius sævitura.

Ibrahimus namque datis mutuo, acceptisque obsidibus elicit ad colloquium Nicolaum, excipit opipare, muneribus demum excolit opulentissimis, fidem Herois, si qua posset, labefacturus. Sed enim fidum Nicolai pectus non secundæ minus, quam adversæ vim tempestatis infregit omnem. Se vero Urbem a fide Regis alienare Sacramento prohiberi: & si maxime id vellet, per Hispanos,

nos, qui Urbem tenerent (horum aliquot tumulati illic erant) minime id licere, intrepide Barbaro respondit.

Ita post colloquium simul Barbarus conclamatis vasis ab Urbe cum ignominia, simul Nicolaus ad suos cum immortalis servatæ urbis & fidei gloria, discesserunt.

Nempe fides integra & mortuos suscitatur in pugnam: nihilque non audet, dum constet sibi.

Sed virtutem istam jam affatim ii, qui pro Patria devovere caput, superius prodidere. Quibus jam accensendi sunt, qui periculo capitis pro Regibus fortiter defuncti, præmium fidei salutem etiam retulerunt.

1074. III. Armaverat Salomonem in Geyzam Regni libido. Jamque cognatas acies furor commissurus erat, cum Ladislaus, quem inter Divos veneramus, haud ignarus Geyzam toto Salomonis robore impetendum, insignia una & discrimen cum illo permutat.

Et non multo post, vix classicum intonuit, jam Salomon omnes in Geyzæ signa vires irruere jubet. Sed enim prælio tantisper conserto, detegit mentitum

tum Geyzam insuperabilis Ladislai virtus. Hunc declinaturus Salomon in verum jam Geyzam signa rursus omnia præcipit adverti. Ita incautum Ladislaus a tergo premit, profligat, in fugam agit.

Adeo germana fides & vires ad prælium durat, & ingenium acuit ad palmam.

IV. Laurentii Poth de Hedervára, eo illustrior fides fuit, quo rarior externis Ducibus præstari solet.

Navaverat hic operam Ratislao Du. 1241.
ci Belæ IV. Genero, eo prælio, quo Daniele Ruthenorum Regem, Galliciam sibi per nefas vendicantem, repressum ivit. Fervente igitur certamine, Laurentius, etsi e vulnere, quod paulo ante lethale acceperat, etiamnum æger, in medios illatus hostes, primum Ruthenorum Ducem, lancea proturbatum equo, ad Ratislai pedes supplicem adducit. Tum Ratislao ipsi, post amissum equum extreme in acie periclitato, ut salvus excedere posset, suum substituit, ipse non minore hostium strage, quam periculo capitis pedes ad suos reversus incolumis.

V. Haud absimili fide, nisi quod in- 1240.
ter perfidos fidelem perstare ad laudem
faciat

faciat magis, Andreas Forgács Belæ IV. caput periculo certo subduxit.

Bela rerum potiente Cumani a Tartaris e sede sua ejecti lustrum integrum in Hungaria non ingratiis Regis hospitabantur. Sed paulo post jus hospitale a nonnullis Hungarorum per nefas læsum barbare ulturi, totum Regnum, Tartaris etiam in societatem adscitis, ferro & igni evastatum eunt.

Occurrit Bela grassabundæ multitudini ad Sajonem annem, haud dubie barbarum furorem repressurus, si Hungaris unanimis fides constitisset in Regem. Sed enim vix classicum cecinit pugnam; cum plerique obirati Regi, quod nuper supra quam hospitales Gratiæ poscerent, Cumanos benevole habuisset, ex arena decedunt, Belamque pene solum hostium immanitati victimam relinquunt.

Perlitere tamen perpauci in fide Regis, quos inter gemini Forgatsii, alter pro salute Regis in vestigio hostia mactatus, alter periculo sui capitis caput Patriæ fortiter tutatus. Erat hic Andreas, qui cum Regem delasso longiore fuga equo jam jam insectanti Barbaro prædam cerneret fore, desilit animosus

in pedes, recentemque Belæ commodat equum, vitam pro illo intrepide devoturus.

Sed favit Heroicæ fidei fortuna, & virtus. Celeriter enim elapsus ad suos, tum plurium equicum hospicio usus, se una Regemque feliciter ad tutiora salvavit. Magnitudinem periculi meriaris clade Hungarorum, quam adeo cruentam fuisse Annales nostri produunt, ut itinere bidui campi omnes sparsis cadaverum acervis late horrerent.

Adeo nempe infracta Hungaris constat fides, ubi Rex, Patria, causaque melior exigit præstandam.

§ VII.

Fortitudo in periculis intrepide adeundis edita.

IN quodlibet discrimen cæce proruere dementissimæ temeritatis est. Ac consilio adire pericula fortiter, Heroicæ magnanimitatis proprium. Hujus exempla, si quæ alia, plurima prodit apud nos vetustas. Et pleraque adhuc producta

luculente docent: impavidos Hungarorum animos minus pavescere nunquam, atque dum pro Regis, Patriæque salute discrimini sponte caput est objiciendum.

Accipe rursus alios, a quibus intrepidus animos mutuari possis. Opos Bathor, Hercules ille nostras, agmen ducat.

1075. I. Venerat Salomoni suppetias Henricus. Jamque Nitriam a Geyza stantem corona cincturus erat. Sed Nitrienses pro fide Geyzæ data, sub signis obviam procedunt hosti, prælioque vim a muris abstinere tentant. Conferitur pugna; sed adeo ignavo utrinque Marte, ut ludus agi, non prælium videretur.

Non tulit hanc ignaviam Bathor, qui tum sub signis meruit Salomonis. Igitur ut suos una & hostem depugnandi doceret artem, citato calcaribus equo in confertos hostium globos unus invehitur: aperta que per strages via, ad ipsam usque Urbis portam trepidationem secum defert & cladem. Ipsam deinde portam, ut fortitudinis illic suæ memoriam consignaret, cæde unius, sauciorum plurium sanguine large respergit.

Ita posito jam velut in meta trophæo, eandem, qua irruerat, viam cladibus no-

vis complet : neve hostis facinus negaret postea, sanguine hostili in rivum defluente iter signat.

Sæviit interim atrox telorum in unum procella, quæ cum Herum non posset, denique prostravit equum. Erexit hostium animos casus Bathoris, tantoque validius frequentes in illum irruunt. Sed is viribus a casu sumptis cladem ruinæ similem fugamque hostium eousque jam pedes edit, dum ad suos incolumis reverteret una, & doceret: virtute bella, non numero geri.

Accepere cruore hostili undique mudentem cum plausu Alemanni, virtutisque admiratione rapti, insolens facinus continuo celebrant apud Henricum. Qui & accitum Bathorem laude juxta & præmiis palam exornat.

At Salomon, unde vincere debuerat hostem, victus fuit. Interrogatus enim ab Henrico, an aliquos compari virium, animique robore suis sub signis censeret etiam Geyza? gloriam gentis præ commo suo ducens: gregatim, reponit, ejusmodi Heroes, ac multo etiam insigniores sub illo mereri. Eo responso territus Imperator, simul illum victoriam desperare, simul suos in Germaniam signa vertere confestim jubet.

1073. II. Idem hic Opos in obsidione Albæ Græcæ, ubi sub Geyza & Ladislao meruit, tergeminos Bulgares, qui Gygan-
tæo robore audaciaque confisi erumpere in Hungaros ausi erant, ad Urbis usque portam, depluente a muris telorum saxorumque procella, repulit audacter.

1073. III. Sed in hujus deinde Urbis expugnatione primas tulit Ludovici Estoras intrepida virtus.

Primus hic in ruinas murorum elatus, tamdiu infestam hostium vim sustinuit unus, quoad Hungari eadem via evasere in Urbem. Tum cædi potius, quam cedere certus, post editam ingentem stragem pulcherrimo casu cadere Urbem quoque, jugumque induere Hungarorum etiam post fata coegit: plus ausus, ac vetus Cocles. Ille adversus multos propugnavit pontem unus, ut securam Romanis fugam præstaret; hic adverso pectore mœnia expugnavit, ut suis gradum ad victoriam faceret.

1494. IV. Geminum quid præstitit Miles Croata, cui reliquum nomen invidit fatum.

Paulus Kinisus ultimam Herculeis factis additurus manum, excurrebat in
Bar.



Barbaros, in Myfia rursum turbantes. Præmittuntur pro more delectorum Equitum millia terna, viciniam hostium late populatura.

Erant in proximo castella duo, quibus probe communitis immensam e rapinis prædam crediderat Alibægus, Barbaris in Myfia Præfectus datus. Eorum alterum, quod & Alibægi uxorem cum liberis accludebat, ex insidijs adorti equites nostri, adeo latuerunt hostem, nemine ut Præsidiariorum conscio fossas jam, & pene valla ipsa superarent. Advertit demum Barbaros dolus & discrimen. Ruunt ad arma, & in hostem: primaque illa rabie Hungaros inclinant de vallibus.

Erat inter equites nostros Miles e Croatia (id enim prodidit vetustas) oriundus. Hic rem ausus (quam olim apud Livium Cocles) plus famæ ad posteros, quam fidei habituram, unus depluentem inter telorum procellam adverso vallo eluctatur in hostem. Ibi fortissime dimicans, non vim solum sustinet Barbarorum, sed & munitionem præsidio eatenus nudat, quoad sociis tuto in valla eniti liceret.

Quinis admodum, & vicens vulneribus hæc illi virtus stetit. Quæ tamen & consecuta cæsis ad unum Præsidariis vi-

Etoria & præda supra fidem opulenta ut-
cunque pensata fuere.

Sed & Uladislaus Rex accepto inau-
ditæ fortitudinis nuncio, post actas de
more Superis grates, virtutem Herois
purpurea veste, ducentisque aureis non
tam præmiavit, quam ornavit.

Non unum hujusmodi Heroem Croa-
tia dedit. Quos in præsens recensere si o-
tium foret, intelligeres Ariste, gentem il-
lam ita in arena Martis nostri eruditam fu-
isse, ut Bellica Hungarorum fortitudine
minus ignavum gesserit nihil. Sed quid
opus hedera virtuti tantæ? Satis jam ho-
dieque patet, tam illos pericula fortiter
adire, quam ignaviter multi alii per-
timescunt.

V. Mitto hic aut Ludovicum I. jam
Regem, in muros Canussii contra torren-
tem telorum in primis enisum; aut Tho-
mam Nadasdium, in expugnatione Lippæ,
vexillum ignavo Signifero ereptum, in ru-
inis murorum attonito hoste metatum;
milleque alios, quorum intrepidus animos
admiratura vetustas præ suis erat; Nobis
ipsa frequentia vulgares facit.

Age nunc Ariste, quoniam ita tibi
jam aures percalluerunt, præci-
pnam Viri Militaris laudem adumbremus.

Solas in arenam vires adferre, belluarum est. Illa demum victoria laude, lauroque digna, quæ Heroibus ingenio venit & arte. Tanto nobilior triumphus stratagemate quam viribus partus; quanto præstat ratio robori ferarum.

Majores vero nostri ingenio, militarique astu adeo magis, quam dextris decertare, ut eam ob rem apud Exteros valde quam callidi audierint passim. Et pleraque omnia, quibus referendis te adhuc delassavi, id aperte produnt.

Nondum finieram, cum subitus tympanorum fragor, tubarum clangore tibiarumque permixtus, cantu exsonat in vicino. Consurgimus ego una & Aristus: & en! dum in adjectos ædibus campos curiosi despectamus, dat se in conspectum equestris Hungarorum turma. Hic vero Aristus continuo nescio quid martium tueri, capere frontem, & pene jam Diras ciere.

Tum ad me (nam attonitum sensit) conversus: infaustam, ajebat, horam! quæ narrationem adeo sibi jucundam turbatum iret! Suam hanc esse turmam, cui adlectus, & hic adhuc præstolatus esset. Veniam darem necessariæ discessioni. Militiæ

cun-

cunctari, cum classicum vocat, non nisi Fabiis datum esse. Nunc sine mora sub his signis ad aquilonem proficiscendum. Dolere sibi in primis, nobilissimam hanc narrationis de stratagematis partem abrumpi.


Ego contra veniam insulsæ garrulitati precari. Satis illi durasse patientiam: sat mihi talionis dedisse pœnas; nec debere toties maectatum maectari ultro velle. Cæterum, inquam ego, si tanta tibi, Ariste, cupido pernoscendi stratagemata Martis nostri, commodum mihi ad manum libellus est, qui rem eam tam erudito una & acuto pertractat calamo, ut suum esse velit Atticus Apollo. Dignus, per Musas! nocturna, diurnaque omnium versari manu, si res nostras, utialii, suo pretio penderemus. Accipe hunc viæ comitem, &, quia id tuus in me animus sperare me jubet, in eo interdum memoriam mei lege. Aristus ore jam in omnes gratias explicato, nihil prætermisit, quod gratissimus una & humanissimus ultimum me salvere jubentis animus potuit exerere.

Ego abeuntem tot votis, auspiciisque oneravi, ut sospitantibus illum Superis, gloriose olim revisurum ad me non vane ominer.



fi
is
o-
r-
bi.
ati
at
ere
æ-
e,
tis
el-
&
ve-
no-
i, fi
us.
tu-
eo
tus
hil
hu-
ntis

que
ris,



756757

756757

